
Orationes
Jesuitarum
Rhedonens.

ORATIONES
QVIBVS POMPAM EXEQVIARVM ATQVE funus HENRICI Magni Galliæ & Nauarræ Christianissimi Regis mœrens cohonestauit

COLLEGIVM RHEDO-nense Societatis IESV.






RHEDONIS,

Apud TITVM HARENAEVM, Typographum Regium.


CIↃ. IↃC. XI.





LVDOVICO XIII. GALLIÆ ET NAVARRAE CHRISTIANISSIMO REGI.





TABVLAM *tibi offerimus,* Rex potentissime, *non erudito quidem penicillo, & exquisito artificio pictam, sed ipsa tamẽ re visendam & admirabilem. Ea cõtinet imaginem* HENRICI *Magni Genitoris tui, Parentis patriæ, quam tu lubens opinor agnosces, & in oculis esse patiere, multóq; magis salutarem existimabis, quàm Philosophi, senis Gargetici effigiem, aut vulgò omnes, Alexandri Magni imaginem putarint. In sacrario tuæ Maiestatis potiùs, quàm alieno in Lare, eandem appendi volumus, & dedicari, quòd primùm tu*



ſis hæres eius virtutis, eorum morum, & illius cumulatæ felicitatis, quæ ſuis coloribus eſt expreſſa; deinde vero vt intelligas, quod longe ante videre potuiſti, nihil nos uolere magis, quàm eum abſentem, & diſtractum à nobis, nihil iam malle, quàm vt eius digna Heroe præſtantia, & excellens virtus, ab omnibus in Gallia prædicetur. Te fortè ipſum in aliqua tabellæ parte videbis, in pueritia grauem, in exiguo corpore magnum, in ætate imbecilla fortem & potentem, Auguſta matre comitatum, Nobilium choro mirantium ſeptum, ſolo datum, cælo deſponſum, bonis amabilem, timendum improbis, omnibus reuerendum. Hanc qui ſpectabunt, neſcio an meminerint Diui Auguſti, qui ſuo in foro, celeberrima parte, duas tabulas poni olim curauerat, quarum vna Victoriam & triumphum, altera quam Senatus populúſque Romanus maximopere ſuſpiciebat, puberem filium, ſeni patri ſimillimum, ſalua ætatis differentia continebat. Sed profecto iidem fatebuntur, noſtram hanc picturam illa vetere longè illuſtriorem, vel magnitu-

dine triumphorum, vel nati cum parente similitudine, quæ populum Gallicanum vehementer delectat. Quod si in hac diuina specie effingẽda, monochromateum picturæ genus, & monogrammum animaduertas, si lumen, umbram, tonon, armogen plerũque desiderari, aut non suo loco adhiberi videas, dabis id amori nostro, qui iampridem gestiit in opus erumpere; dabis & dolori, qui minuere alacritatem solet ingeniúmque opprimere. Nos quidẽ catagrapha delineare voluimus, eáque non ut olim pingere consueuit Turpilius Eques Romanus læua manu, sed dexterâ, optima certe nostri parte, mente optima, animóque, quẽ ut Patri de nobis immortaliter merito, sic & tibi religiosè votũ habemus, & Deo duce habebimus semper.

T. M.

Deditissimi

Collegii Rhedonensis Societatis IESV Alumni.

EIDEM.

MAgne Puer patriaque Parens, qui grandia forti,
Sceptra manu, & duplicē rosea ceruice coronam,
Iam vota virtute quatis, cape dulce parentis
Magnanimi monumentum, & grata in imaginè vultus.
Digna Deo effigies clarísque Heroibus æqua,
Te duce ab Armorica Rhedonúmque è sede tuorū,
Ibit ad Auroræ populos, Tanaímque niualem,
AEthiopásque nigros, pedibúsque fugacibus Indū.
Quin se tollet humo, liquidúmq; per æthera vecta
Signiferi regione Poli, trans nubila & auras,
Gallorum sublime decus felicia Patris
Nomina sacrabit, patriæque reponet Olympo.
Aspira placidus, nutúque hæc vota secunda.



LECTORI
BENEVOLO.

NOVANTIQVA damus, Lector humanissime, ante annum videlicet pronunciata, & hoc proximo Anniuersario die, quo votis Galliæ communibus, omniúmque studiis, HENRICO Maximo, Parenti patriæ, iusta persoluta sunt. Et quidem iam ab initio Clarissimi Ciues Rhedonenses precibus apud nos egerant, vt quoniam ea quæ in hoc suo Collegio de Rege optimo dicta fuerant, amplissimæ Curiæ luminibus, & optimatibus vrbis maximopere placuissent, in lucem emitterentur. Sed res tanti non videbatur, & ea

ſuerat inuidiæ afflatu & maleuolentiæ, in Societatem vniuerſam excitata nebula, vt ſolitudinem potius & tenebras, quàm lucem atque plauſum expectare deberemus. Nunc quoniam Dei prouidentia & benignitate Veritatis ſplendor emicuit, minimè fuit recuſandum, quin prodirent hæc in Optimum Regem caritatis ſtudiíque argumenta, indicia voluntatis, obſeruantiæ monumenta: præſertim cùm ad huiuſmodi labores & honeſtiſſimam contentionem, ſtudio Ciuium, & in Heroem illum Indigetem clariſſimis officiis, & æterna beneuolentia inuitaremur. Nam verum opinor eſt, quod præfiſcini tamen ſit dictum, paucas in Gallia ciuitates fuiſſe, quæ ſplendidius HENRICO Magno parentarint, illo triduo, quo delubra vrbis omnia, & maximè princeps templum, fuit omnium ordinũ concurſu, & ſingulari pietate celebratum:

tum; vbi parietes velis inumbrati holosericis, luctum, innumeræ prope faces, diem, hominum cantus orantium, pietatem accēderent. Quo etiam tempore nostri Collegii parietes magna carminis varietate ornati fuerunt, & tametsi vt ait ille *Carmina proueniunt animo deducta sereno,* Tamen luctus atque dolor nescio quomodo fuit tum quidem disertior, & Musæ nostræ suum Apollinem ad cœlites abeūtem, nō sine genio gratiáque fleuerunt. Ea tamen carmina partim ex scripta à multis, partim neglecta, hoc medio tēpore de manibus euolauerunt, hæc opera longiora & ponderosiora hæserunt. Atque vtinam nobis idem euenisset, quod Poetæ illi pereruditо, qui Pindari mortem atque funus, eleganti nænia cohonestauerat, qui dixit, ea industria se poema suum composuisse, vt externis æquè ac ciuibus probaretur, displiceret nemini. Id spe-

ē

rare minime potuimus: alius alia reprehendet, & ne quidem id Diogenis audiendum existimabit, *Laudẽ reprehensioni admiscendam.* In hoc sanè regię laudis Circo sine offensione naufragióque decurrere, perquam difficile fuit & operosum. Nam aut fuit de quaque re dicendum exilius, aut si copia adiungeretur orationis, multa silentio prętereunda, quę non nemo fortè desiderasset. In ea verò tanta rerum excellẽtium varietate, si amplificare singula & exornare placuisset, Labyrinthũ haberemus, vnde nullus pateret exitus. Quare leuiter euolauit oratio, & Hierophantæ more supellectilem sacram & ornamenta, voce aut virga designantis, res HENRICI Magni attigit. Tu Cãdide Lector ęqui boniq; consule, & errata quę in hac tumultuaria editione nobis insciis & inuitis contigerunt, emenda: nos grauiora in calcem conieremus. Vale.

TVMVLVS
HENRICI MAGNI.

D. M.

AVdi Mortalis quisquis es, hoc te Mausoleum rogat, se vt aspicias, & speculũ putes, aut scholam. Viden' sceptrum inuersum, nutantem coronam, gloriam marcidam, euanidã pompam? triumphus est mortis, fati trophæum, fragilitatis documẽtum. Disce omnia præcipiti cursu fluere, lubrico orbe versari, raptari, auola-

re, vaneſcere. Fui, nō ſum: aut quidquid ſum, puluis, cinis, terræ pondus, Parcæ ſpolium, dum melior pars mei in fontem refluit, vnde fluxit, vbi quieſco. Quis fuerim, ſi lubido audire eſt, breui cape. Regem me natura fecit, ius dixit, arma vindicarunt, Numen declarauit, inuidia agnouit, orbis terræ conſenſit, res meæ geſtæ probarunt. In bello Mars fui, Themis in conſilio, in iudiciis Dice, in legibus Eunomia, in pace Fauſtitas, in artificiis inducendis Ergane, in lite-

ris propagādis Mercurius, in populo Clementia, Sol inter Principes, in imperā-do Phœnix, in diuinis Pietas, in humanis Humanitas, in malis Apotropæus, in bonis humani generis deliciæ Amórque. Viuens moriénſque cor meis aperui, qui me Indigetem, vt Patria Parentem, vocant. Ætas longa fuit annis, breuis rebus gerendis, quas immenſas cogitabam. Diutius vixiſſem ni ſcelus obſtitiſſet, quod dum me iniuriâ petit, iure perit, nam fortior è ſublimi petā ob-

terámque. Sobolem reliqui, partum aureum, ſceptri columen, coronæ ornamentum, populi decus, Galliæ præſidium, germen perennitatis. Hæc monere volui, nunc abi. Sed heus tu : Numen verere, Principem reuerere, hoc tantùm.



PRO TVMVLO

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.
SVB CINERIBVS HONOR.

MOEret Honor, languescit Honor, viduatur honore
Gallia, ab Europa saucius exit Honor.
In ferrugineum Tyrios commutat amictus
Nobilitatis honor, Religionis Honor.
Heu iacet! heu muto dat pallidus ora sepulchro
Regum Honor, immani vulnere stratus Honor.
Quæris vbi iacet orbus Honor, iacet inclytus orbis,
Francigenum, Europæ, Religionis Honor?
Hic situs, hoc cinere Henrici, *hac includitur vrna*
Regū Honor, heu lacrymans carpe Viator iter.

S. T. T. L.

Aliud in vrnam Regiam.

HENRICVS BORBONIVS.
CINIS HONOR VRBIBVS.


VIuida si virtus viuit post funera, viuet
In cinere hoc Virtus, in cinere hoc Pietas.
Sunt aliis Vrbes decori post fata, sed ille
Vrbibus est decori marmoribúsque cinis.

ΕΡΡΙΚΟΥ ΒΑΣΙΛΕΟΣ
τοῦ μεγάλου.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

ΕΝθάδε εὐχωλὴ κρειόντων, ἐνθάδε κῦδος,
Κεῖται ἐνθ' ἀρετὴ, ἔνθα καὶ ἠνορέη.
ΕΡΡΙΚΟΣ ταῦτ' ἔσκεν ἄναξ, θεῷ ἰσοφαρίζων,
Κυδρὸς ἐν ὑσμίνῃ, κῦδος ἐν ἡσυχίῃ.
Κὴρ ὀλοὴ φθονερή τε τὸν ἔκτανε κυδιόωσα,
Ὡς στιβαρὸν περὶ ἀμπεπαλῶσα δόρυ.
Ἀλλ' ἄρα μὴ κλείσει πολυκλειτὸν δηθάκι γαῖα,
Οὐ θέμις οὐράνιον κεῖσθαι ἔνερθε κλέος.
Αἰθέρα περισσομολεῖ ἐναλίγκιος ἀστέρι καλῷ,
Ἄμβροτος ἀλλὰ βροτοῖς κάλλιπεν ἔνθα γόνον.
Χαῖρε μέγ' ἡγήτωρ, λαοσσόε, ὄρχαμ' ἀνάκτων,
Σοὶ χέει, ἀντὶ χοῆς, δάκρυα θερμὰ λεώς.


ORA-



ORATIO PRIMA

LAVS HENRICI MAGNI

A PACATO INGRESSV *in principatum.*



QVOD sanctum Ambrosium diuinæ mentis hominē pronunciasse ferunt, cùm Valentiniani Principis ab hac vita migrationem oratione prosequeretur, id multo magis in hāc tempestatem, quæ Galliæ prope statum gloriámque euertit, conuenire meritissimò mihi videtur, Auditores. Aiebat ille flere omnes, squalere ciuitates, iacere prouincias, vniuersum imperium in situ & tenebris & insanabili dolore consenescere. Omnes, inquit, non tanquam imperatorem sibi; sed tanquam parentem publicum obiisse domestico fletu doloris illacrymant. Quod doctoris grauissimi dictum, nulli accommodatius

quam HENRICO MAXIMO, qui à nobis ad diuorum religionem vitámque migrauit, tribuendum sentiet, qui vrbium, qui prouinciarum, qui Gallorum omnium fletum & mœrorem attendet: qui profectò satis supérque significât, se non tam Regem omnibus fortunæ muneribus abundantẽ, & regendi sciẽtia & moderatione præstantem, quàm bonũ, quàm suauissimum parentem amisisse. O Gallia gentium domina, túne illa es quę paulo ante huius ductu atque auspiciis, tanto principe & moderatore gloriosa & triumphans, caput in cælum efferebas? quæ tui metu nominis ceteras nationes complebas? quæ barbaris nationibus, quę regnis Christianis inaudita crudelitatis siti imminebant, terrori eras? itáne omnia derepente à summis gaudiis ad complorationem, à trophæis & insignibus victoriæ ad acerbum squalorem sepulchri, à laurea ad cupressos, à pompa ad sordes atque funus, ab effusa lætitiæ voluptate ad lamenta, ab omnium gentium gratulatione ad plangorem gemitúmque reciderunt? Epaminondas cùm vitam egregie traductam honesta morte clausisset,

Thebanorum gloriam cum eo ſimul natam, ſimul & extinctam, qui tum erant viri ſapientes in Græcia opinabantur. Non ego quidē patrię decus omne amplificatámque fortunam, Henrico ad cœlites abeunte, ſuis ornamentis ſpoliatam funditus periiſſe dicam, quā videmus regiis triumphis continuíſque victoriis pacatam, corroboratam legibus & inſtitutis, paternarum virtutum hærede ſtabilitam: hoc dico, eam ſecurim inflictam eſſe imperio Gallicano, vt immane vulnus & acerbum nulla tēporis longinquitas ſanare poſſe videatur. Sed eſt tamen quod recreet mentem, & in hac tanta támque importuna calamitate leuationem adferat, quod ea ipſa quæ nos ad fletum eiulatúmque vocāt, ſint illi, quem deſideramus, glorioſa. Neque enim tam communis eſſet luctus atque mœror, niſi is quem de vita exiſſe mœremus, omnium animos præſtabili vitæ ratione conciliaſſet. Illę igitur virtutes regię, quę hominum opinione fructu & vtilitate conſecrantur, animos luctu & mœrore fractos debilitatóſque reficiant, in viuorum memoria hæreant, & ad omnem poſteritatem

fama & prædicatione mittantur. Nemo ſit tam deſertus ab omni honeſtate, tam mollis, tam præpoſterus, vt de maximo Rege orationem quamlibet lógam & copioſam, aut moleſtam, aut immoderatã reijciendámq; putet. Vos certè, Auditores, pro veſtra in Heroem pietate, quæ religioſo à me officio proponentur, minimè repudiaturos eſſe confido. Sed in hac tanta rerum immenſitate, quæ copia & ſplendore ſuo mentem obruunt, vnde initium mea ducet oratio? Hic vero ſeſe aperit ingens quidam immenſúſque Rhetorum cãpus, in quo ſoleat exultare, & triumphare iuueniliter eloquentia. Aiunt illi dicendi artifices, ſic hominum laudem inſtituendam, vt antiqua proſapia ex annalium monumentis eruatur, exornetur genus, amplificentur diuitiæ, familiæ dignitas atque opes oratione augeantur, nihil denique obſcuretur ſilentio, quod à fortuna magnis viris, aut à natura donatum eſſe videatur. A quorum tamen inſtitutis atque doctrina mihi certum eſt hodierna die recedere: non vult HENRICVS vſitata ratione commendari, in tanta excellentis animi diuiníque ſa-

pientia, in tam incredibili copia virtutum, in hac rerum admirabilium luce, noua quędam ratio excogitanda, nouæ regiones ineundæ sunt. Facessant hinc oratorum tralatitiæ cantilenæ, & peruagatæ hic eorũ leges doctrinæque iaceant: illa mentiens séque iactans liberius & flumine quodam abundans, ad aurium modò delectationem cõparata oratio, priuatarum exercitationũ vmbraculis & cancellis definiatur. Te pollens Galliæ rector HENRICE, stirpe regia oriundum dicam? Nec eum posse non regio esse animo, & ad virtutum excellentium dignitatem cœlesti indole, animíque inductione, qui tot Reges in Borboniorum familia, tam præstantes in omni vitę ratione parẽtes habuisset? Magnum quidem illud est, sed commune cum multis. Propria quædã sunt exquirenda in eo ornando, qui omnium gentium, omnium seculorum, omnis pænè memoriæ facilè princeps, nõ modo eorum hominum qui nunc sunt; verum etiam antiquitatis gloriam superauit. Itaque prætereantur illa nomina Regum, & Dynastarum, quorum egregiè factorum memoria, per honorifica

ſcriptorum commemoratione celebratur. Sileatur ſtirps illa ſanctitatis & innocentię magnus LVDOVICVS, quẽ ſedibus beatorum exceptum piis ceremoniis, & maiorum religione veneramur; cuius ſplendor & auguſti nominis amplitudo, ad eos laudandos nobilitandóſque ſeruetur, qui ipſi cur laudarentur, nihil magnopere ſuis poſteris reliquerunt. Omittatur etiam puerilis educatio, regio more in aula regia inſtituta: relinquatur adoleſcentiæ tempus omne, claritatis futurę augurium, ſeminarium dignitatis, palæſtra magni excellentíſque animi humana omnia ſuperantis: cuius ętatis clariſsima decora tametſi per ſe tanta eſſe confiteor, vt nullius oratione hominis, pro dignitate ſatis explicari queant, eáque ornari magnificè & iucundè audiri poſsint, facile tamen ſileri patiar, ne dum prima nos nimium tenent, ſerò ad poſtrema & ſplendidiora veniamus. Nam me Gallia regifico ornatu & inſtructu elata glorioſius, quodammodo abſorbẽs orationem meam, ad lætiſsimam illam tempeſtatem vocat, cùm repreſsis edomitíſque belli factionibus, pacato gremio

dominatorem ſuum excepit, verè auguſtum, felicem, triumphalem. Deus immortalis! quænam ſpecies oboritur oculis meis? quis ſtatus reuiuiſcentis Galliæ? quænam HENRICO ad imperandum via? quantus aceruus inſignium miraculorum? quam clara, quàm inuſitata Dei beneuolentia, quantę cœleſtis prouidentiæ ſignificationes in hoc vno Rege extiterunt? Quis HENRICVM ſperauiſſet aliquando, illis temporibus, quibus ciuili diſcordiæ incendia, per vniuerſam Galliam longè latéque furebant, poſſe ex illis difficultatibus tot & tantis, quibus vndique ſeptus, & oppreſſus tenebatur, emergere? emerſit, & eò quidem illuſtrius, quò tempeſtas vehementior, maioréſque turbines eum portu & ſtatione prohibebant. Nã quemadmodum latens calor & frigida nube circumuallatus, quo ſpiſsior illa eſt, & vaporis acceſsione denſior, eliſis quaſſu & agitatione lateribus geſtit erumpere, & maiore tandem ſonitu aërı́ſque fragore, incenſa vis in liquidum fulmen vibránſque attollitur: ſic ardens Herois animus nihil non altum diuinúmque moliens, Herculeis ærumnis,

& quotidianis exagitatus, quò fortuna temporúmque asperitas vrgebat vehementius, eò magis terrore sui nominis & famæ lato splendore vibrabat. Itaque post homines natos luculentè vnus declarauit, inuiam virtuti nullã esse viam, nec obices, claustráque vlla tanta firmitudine stabilita, tanto robore ad impediendum fixa collatáque reperiri, vt non animi generosi constantia frangi & conuelli posint. Armatos vidimus exercitus, & superbissimo delectu copias, infestis odiis inter se cõcurrentes: furiales quædam faces in exangue Reipub. corpus erant immissę, quæ nisi Gallorum sanguine & internecione restingui posse non viderentur. Iam funesta bellorum lues nobilitatis florem pænè omnem exhauserat: familię veteres atque notæ partium insano studio, & contentione distrahebantur. Multę prouincię dominatu regio solutæ ac liberę, suam sibi quęque principem & gubernatorem legebant, qui quasi in caducam hęreditatem vacuámque incidissent, regia insignia supremúmque dominatum, sibi aut aliis cogitabant. Sed ille omnia tuens ac regẽs Deus humana

omnia

conſilia ad vnius HENRICI dignitatem accommodabat, qui tam pręſens illis temporibus opem & auxilium nobis tulit, vt illius nutu atq; imperio, & geſta, & prouiſa omnia fuiſſe videantur. Nam pace tua dixerim, Rex maxime, non illa tantùm exaggerati animi fortitudo, qua ceteris longè omnibus anteiiſti, non labor aut rei militaris ſcientia, qua tuum nomen immortalitati commendaſti, non caſus aut fortuna, cui veteres nimium tribuebant, non tela, non gladij, nō inuicta in pręliis cohors, non eques, non Centurio, non armatæ ferro legiones, non denique ſola te virtus & excellentia tua in hoc regni ſolio collocauit. Illa diuina mens & ęterna, cuius arbitrio vniuerſus mundus adminiſtratur, te per ſtrata cadauera hoſtiū ſaluum & incolumem deduxit, coronā auro & gemmis colluentem ceruicibus impoſuit, ſceptrū dedit. Nā vt morbo & ęgritudine olim, quæ lethalis & ſuprema illi fuit, decumbens Alexander Macedo, cum ab illo viri principes tāti imperij ſucceſſorem peterent, tanquam ex oraculo reſpondit, non alium ſe velle dominationis hęredem & glorię, quàm

dignißimum : ita prouidus rerum opifex & conseruator Deus in ea optimatium contentione, cum plurimi regij nominis cupiditate & splendore caperentur, te cùm legit, omnium sane *dignißimum* iudicauit. Veterum, fuit sapientum commune verbum, principatum non nisi fato deberi: Lampridius sanè historiæ augustæ scriptor Imperatorem dixit esse fortunæ, quod & boni Reges fuissent, & pessimi imperassent. Nos melioribus institutis eruditi id diuinæ prouidentiæ tribuamus, quæ in HENRICVM iure & natura principem, bello impio & funesto lacessitum, contulit omnia ornamenta honoris, laudis insignia, gloriæ monumenta. Quod diuini numinis iudicium, tot indiciis patefactum, Galli deinde omnes venerati sunt, & ad eum datum diuinitus & concessum, Christiani regni moderatorem, omnes vrbes atque prouinciæ, multi etiam finitimi populi suam voluntatem aggregauerunt. Nam in ea luce diuinitatis quam cœlestis Heros cœpit effundere, arma repente lapsa hostium de manibus, illa furens iracundia, & ignitus ardor animorum extinctus

eſt, tacita conſilia ad patriam labefactandam comparata, ſubito in ventos fumúmq; abierunt: ſic denique ab omni choro Principum iudicatum eſt, nullum eſſe tam factum ad imperandum, tam dignum florentiſsimo imperio, & multarum nationum gubernatione, tam perfectum, tam ſuis muneris abſolutum, quàm eum, qui arcano numinis conſilio fuiſſet ad omnem fortunæ rationem, duriſsimis in rebus, & caſuum iactatione eruditus. Itaque tandem habuiſti Gallia, quod votis, quod precibus ad Deum fuſis, quod multorum annorum quotidiana ſupplicatione expetiſti: diuino beneficio ac munere conſecuta es quod in motibus turbulentiſſimis diuturnæ calamitatis, quod in fumantis pæne patriæ reliquiis indagauiſti. Neque enim cùm ſtricti gladij impune volitabant, & omnia modeſtiæ clauſtra reuellebantur, aliud opinor quærebas, quàm ſeruatorē apotropęũ, piè felicem, ſapienter fortem, omni ratione moderatum, inuidia ſuperiorem: qui pro fluctu & turbine ciuilium naufragiorum, portum: pro tumultu ſæuo, quietē: pro tenebris, lucem: pro clam-

gore tubarum, & horribili armorum ſtrepitu, gratulationes: pro importuna diſſenſione, pacem: pro deſperatione rerum omnium, ſalutem ferret: qui pacatas regni beati Florentíſque prouincias, reuocatis maiorum inſtitutis, & inducta legum temperatione vinciret, qui patriā è fati faucibus & Iliade malorum ereptam, ab impotentum hominum inſidiis, & externa barbaráque immanitate ſeruare poſſet. In quo ſi Duces, Reges, Imperatores, iam inde à fundato imperio Gallicano, repetere memoria & luſtrare placet, ſic reperiemus, vnius HENRICI dignitatem, animi excellentiam atque robur, ſingularem conſtantiam, fidem, moderationem, aliorum omnium opes & amplitudinem antecellere. Cato ſenex cùm infenſior eſſet Regibus, & vidiſſet aliquando Eumenem ſumma populi Romani voluntate, ſummis honoribus Senatus, & communi totius gaudio atque pompa, in vrbem exceptū, mirari ſe dixit vehementer, inuſitata illa officia ſtudiáque Romanorum, in iis hominibus cohoneſtandis, quos minus noſſent: neque enim, inquit, rex vllus fuit omni

memoria, omnibus in oris partibúſque terrarum, quamuis inter ſuos præſtabili dignitate & virtute floruiſſet, qui cum Pericle aut Epaminonda, cum Themiſtocle, cum Manio Curio, cum Amilcare cognomine Barca iure cõponi poſſe videretur. Marce Cato, Romanæ ſapientiæ decus atque lumen, tuus ille in regendo princeps & moderatus, quem fruſtra non modo in regnis, atque imperiis, verum etiam in annalium monumentis requirebas, iam inuentus eſt, & diuina quod aiunt virgula noſtro æuo conceſſus, qui non modo tuos illos Pericles & Epaminõdas ęquauerit, ſed longo etiam interuallo ſuperarit. Nam quę in illis ſingulis ſingula magna atque diuina putabantur, quibus ad hominum famam & commendationem veniebãt, ciuilis prudentia, fortitudo in periculis, dictorum factorumque conſtantia, celeritas in agendo, maturitas in prouidendo, iudicium acerrimum, virtus, felicitas, ea vniuerſa in hoc vno ſumma, rerum effector molitórque Deus effecit. Qui non nouus aut imperitus gubernandi, ad habenas moderandas ſubito acceſsit, nec eburneos tantùm

tus ille regius plenus clementia & humanitate, vt Solis Orientis ſplendor, ciuibus apparuit, qui Cimmeriis pæne tenebris inuoluti, metu & mœrore conficiebantur. Cúmque primùm excitati, vim tantę támque inuſitatæ lætitię non caperent, quam ille Parentis patrię fortunatus in vrbem introitus attuliſſet, ſeipſos taciti circunſpiciebant, & nouam ſibi lucem diuinitus affulſiſſe, noua ſecula penitus aurea, in vrbem, atque adeo in orbem, reuocata mirabantur. Neque tamen illud gaudium liquidum fuit, atque omni ex parte cumulatũ, donec vox ea fuit exaudita, quę velut adytis ſacrarióque patefacto, diuina quædã ſimulachra, & virtutum regiarum admirabiles ſpecies oſtendit. Hactenus inquit, Ciues mei, vos & veſtra perpetuæ bellorum contentiones vexarint, animos deiecerint, fatali quadam odiorum concurſione efferueſcentes & elatos abſtulerint: en vobis lucem, pacem, & beatitatem adfero: Hęc dextera plena victoriis, & totius pæne regni conſenſione glorioſa, vos proteget. Ora huc ad me attollite, vt qui prius fui hoſtibus inuicti animi & ardentis magni-
tudine

tudine formidãdas, nunc vt Paſtor placidúſque parens, vos ſuauier & complectar. Si quid fuit offenſionis animorum, ſi quæ mentibus impreſſa maleuolẽtia & inuſta, exuratur: ceteræ labes quę malorum conſortio & contagione ſe in vrbes, & oppida immiſerunt, ſepeliantur, vetera omnia condonentur. O iucundum effatum! ô dignum propylęo Delphico ſermonem! ô mirificam orationem, & in ara quondam AEternitatis, non modò in hiſtoriarum monumentis inſcribendam! Quis cantus Gratiarum? quæ muſea mele? quæ Sirenum vnquã ſymphonia illo dicto fuit ſuauior, Pręterita condonentur? Lacedæmonios tumultu aliquãdo, & populari ſeditione commotos accepimus, vt furias concitatas in forum aduolaſſe, ſparis, ſariſsis, & omni armorum genere inſoleſcentes: nihílque propius fuit, quàm vt illa flamma ſeditionis in totius Reip. incendium, & communem perniciem erumperet. Iam hinc inde armatorum cunei fulgentes gladios circumferentes, pulcherrimæ vrbis, quam verè domum conſtantiæ & fortitudinis appellare poſſum, ruinam atque funus

ſcriptorum commemoratione celebratur. Sileatur ſtirps illa ſanctitatis & innocentię magnus LVDOVICVS, quē ſedibus beatorum exceptum piis ceremoniis, & maiorum religione veneramur; cuius ſplendor & auguſti nominis amplitudo, ad eos laudandos nobilitandóſque ſeruetur, qui ipſi cur laudarentur, nihil magnopere ſuis poſteris reliquerunt. Omittatur etiam puerilis educatio, regio more in aula regia inſtituta: relinquatur adoleſcentiæ tempus omne, claritatis futurę augurium, ſeminarium dignitatis, palæſtra magni excellentíſque animi humana omnia ſuperantis: cuius ętatis clariſsima decora tametſi per ſe tanta eſſe confiteor, vt nullius oratione hominis, pro dignitate ſatis explicari queant, eáque ornari magnificè & iucundè audiri poſsint, facile tamen ſileri patiar, ne dum prima nos nimium tenent, ſerò ad poſtrema & ſplendidiora veniamus. Nam me Gallia regifico ornatu & inſtructu elata glorioſius, quodammodo abſorbēs orationem meam, ad lætiſsimam illam tempeſtatem vocat, cùm repreſsis edomitíſque belli factionibus, pacato gremio

dominatorem ſuum excepit, verè auguſtum, felicem, triumphalem. Deus immortalis! quænam ſpecies oboritur oculis meis? quis ſtatus reuiuiſcentis Galliæ? quænam HENRICO ad imperandum via? quantus aceruus inſignium miraculorum? quam clara, quàm inuſitata Dei beneuolentia, quantę cœleſtis prouidentiæ ſignificationes in hoc vno Rege extiterunt? Quis HENRICVM ſperauiſſet aliquando, illis temporibus, quibus ciuili diſcordiæ incendia, per vniuerſam Galliam longè latéque furebant, poſſe ex illis difficultatibus tot & tantis, quibus vndique ſeptus, & oppreſſus tenebatur, emergere? emerſit, & eò quidem illuſtrius, quò tempeſtas vehementior, maioréſque turbines cum portu & ſtatione prohibebant. Nã quemadmodum latens calor & frigida nube circumuallatus, quo ſpiſsior illa eſt, & vaporis acceſsione denſior, eliſis quaſſu & agitatione lateribus geſtit erumpere, & maiore tandem ſonitu aëríſque fragore, incenſa vis in liquidum fulmen vibránſque attollitur: ſic ardens Herois animus nihil non altum diuinúmque moliens, Herculeis ærumnis,

& quotidianis exagitatus, quò fortuna temporúmque aſperitas vrgebat vehementius, eò magis terrore ſui nominis & famæ lato ſplendore vibrabat. Itaque poſt homines natos luculentè vnus declarauit, inuiam virtuti nullā eſſe viam, nec obices, clauſtráque vlla tanta firmitudine ſtabilita, tanto robore ad impediendum fixa collatáque reperiri, vt non animi generoſi conſtantia frangi & conuelli poſsint. Armatos vidimus exercitus, & ſuperbiſsimo delectu copias, infeſtis odiis inter ſe cōcurrentes: furiales quædam faces in exangue Reipub. corpus erant immiſſę, quæ niſi Gallorum ſanguine & internecione reſtingui poſſe non viderentur. Iam funeſta bellorum lues nobilitatis florem pænè omnem exhauſerat: familię veteres atque notæ partium inſano ſtudio, & contentione diſtrahebantur. Multę prouincię dominatu regio ſolutæ ac liberę, ſuam ſibi quęque principem & gubernatorem legebant, qui quaſi in caducam hęreditatem vacuámque incidiſſent, regia inſignia ſupremúmque dominatum, ſibi aut aliis cogitabant. Sed ille omnia tuens ac regēs Deus humana

omnia

conſilia ad vnius HENRICI dignitatem accommodabat, qui tam pręſens illis temporibus opem & auxilium nobis tulit, vt illius nutu atq; imperio, & geſta, & prouiſa omnia fuiſſe videantur. Nam pace tua dixerim, Rex maxime, non illa tantùm exaggerati animi fortitudo, qua ceteris longè omnibus anteiiſti, non labor aut rei militaris ſcientia, qua tuum nomen immortalitati commendaſti, non caſus aut fortuna, cui veteres nimium tribuebant, non tela, non gladij, nō inuicta in pręliis cohors, non eques, non Centurio, non armatæ ferro legiones, non denique ſola te virtus & excellentia tua in hoc regni ſolio collocauit. Illa diuina mens & ęterna, cuius arbitrio vniuerſus mundus adminiſtratur, te per ſtrata cadauera hoſtiū ſaluum & incolumem deduxit, coronā auro & gemmis colluentem ceruicibus impoſuit, ſceptrū dedit. Nā vt morbo & ęgritudine olim, quæ lethalis & ſuprema illi fuit, decumbens Alexander Macedo, cum ab illo viri principes tāti imperij ſucceſſorem peterent, tanquam ex oraculo reſpondit, non alium ſe velle dominationis hęredem & glorię, quàm

dignissimum : ita prouidus rerum opifex & conseruator Deus in ea optimatium contentione, cum plurimi regij nominis cupiditate & splendore caperentur, te cùm legit, omnium sane *dignissimum* iudicauit. Veterum, fuit sapientum commune verbum, principatum non nisi fato deberi: Lampridius sanè historiæ augustæ scriptor Imperatorem dixit esse fortunæ, quod & boni Reges fuissent, & pessimi imperassent. Nos melioribus institutis eruditi id diuinæ prouidentiæ tribuamus, quæ in HENRICVM iure & natura principem, bello impio & funesto lacessitum, contulit omnia ornamenta honoris, laudis insignia, gloriæ monumenta. Quod diuini numinis iudicium, tot indiciis patefactum, Galli deinde omnes venerati sunt, & ad eum datum diuinitus & concessum, Christiani regni moderatorem, omnes vrbes atque prouinciæ, multi etiam finitimi populi suam voluntatem aggregauerunt. Nam in ea luce diuinitatis quam cœlestis Heros cœpit effundere, arma repente lapsa hostium de manibus, illa furens iracundia, & ignitus ardor animorum extinctus

est, tacita consilia ad patriam labefa-ctandam comparata, subito in ventos fumúmq; abierunt: sic denique ab omni choro Principum iudicatum est, nullum esse tam factum ad imperandum, tam dignum florentissimo imperio, & multarum nationum gubernatione, tam perfectum, tam suis muneris absolutum, quàm eum, qui arcano numinis consilio fuisset ad omnem fortunæ rationem, durissimis in rebus, & casuum iactatione eruditus. Itaque tandem habuisti Gallia, quod votis, quod precibus ad Deum fusis, quod multorum annorum quotidiana supplicatione expetisti: diuino beneficio ac munere consecuta es quod in motibus turbulentissimis diuturnæ calamitatis, quod in fumantis pæne patriæ reliquiis indagauisti. Neque enim cùm stricti gladij impune volitabant, & omnia modestiæ claustra reuellebantur, aliud opinor quærebas, quàm seruatorẽ apotropęũ, piè felicem, sapienter fortem, omni ratione moderatum, inuidia superiorem: qui pro fluctu & turbine ciuilium naufragiorum, portum: pro tumultu sæuo, quietẽ: pro tenebris, lucem: pro clam-

gore tubarum, & horribili armorum ſtrepitu, gratulationes: pro importuna diſſenſione, pacem: pro deſperatione rerum omnium, ſalutem ferret: qui pacatas regni beati Florentiſque prouincias, reuocatis maiorum inſtitutis, & inducta legum temperatione vinciret, qui patriā è fati faucibus & Iliade malorum ereptam, ab impotentum hominum inſidiis, & externa barbaráque immanitate ſeruare poſſet. In quo ſi Duces, Reges, Imperatores, iam inde à fundato imperio Gallicano, repetere memoria & luſtrare placet, ſic reperiemus, vnius HENRICI dignitatem, animi excellentiam atque robur, ſingularem conſtantiam, fidem, moderationem, aliorum omnium opes & amplitudinem antecellere. Cato ſenex cùm infenſior eſſet Regibus, & vidiſſet aliquando Eumenem ſumma populi Romani voluntate, ſummis honoribus Senatus, & communi totius gaudio atque pompa, in vrbem exceptū, mirari ſe dixit vehementer, inuſitata illa officia ſtudiáque Romanorum, in iis hominibus cohoneſtandis, quos minus noſſent: neque enim, inquit, rex vllus fuit omni

memoria, omnibus in oris partibúsque terrarum, quamuis inter suos præstabili dignitate & virtute floruisset, qui cum Pericle aut Epaminonda, cum Themistocle, cum Manio Curio, cum Amilcare cognomine Barca iure cōponi posse videretur. Marce Cato, Romanæ sapientiæ decus atque lumen, tuus ille in regendo princeps & moderatus, quem frustra non modo in regnis, atque imperiis, verum etiam in annalium monumentis requirebas, iam inuentus est, & diuina quod aiunt virgula nostro æuo concessus, qui non modo tuos illos Pericles & Epaminōdas ęquauerit, sed longo etiam interuallo superarit. Nam quę in illis singulis singula magna atque diuina putabantur, quibus ad hominum famam & commendationem veniebāt, ciuilis prudentia, fortitudo in periculis, dictorum factorumque constantia, celeritas in agendo, maturitas in prouidendo, iudicium acerrimum, virtus, felicitas, ea vniuersa in hoc vno summa, rerum effector molitórque Deus effecit. Qui non nouus aut imperitus gubernandi, ad habenas moderandas subito accesit, nec eburneos tantùm

humeros ferens, quales Verus Imperator, ad honorum fastigium euocatus, per quietem habere se vidit, sed aureos, sed Herculeos & cœlestes, quibus vt Atlas stelliferos orbes, sic illustre liliorum pondus sine offensione sustineret. Itaque non mirum, si cùm primùm regiarum virtutum splendor, per tumultuũ & discordiarum eas nubes, quibus Gallia fuit circumfusa, sese nobis aperuisset, omnes deinde ciuitates, studio inflammato, in illius clementiæ sinum confugerint. Quarum princeps Regina Lutetia, deuota Regibus, & expolita omni genere humanitatis, cùm adhuc essent varij motus animorum, & haud æquæ multorum conciones audirentur, portas HENRICO diuino consilio aperuit. O diem illum beatissimi quem vere natalem huic imperio nominare possum! quíque instar immortalitatis fuisse non modo Galliæ; verùm, ni mea me fallit coniectura, Europæ vniuersæ mihi quidem videtur! Ingredior iam illud tempus, quod propter admirabilium rerum multitudinem, omnem omnium oratorum vim copiámque exhaurit: stupet sanè admiratione perculsa

mens, oratio ipſa inſolito ſplēdore obſtupefacta, vt eam virtutum excellentiam conſequi poſsit, veretur. Excitate queſo veſtram mentem Auditores, ad præteriti temporis recordationem, & Pariſienſium vos eo die ſtatum, vrbis faciem, commutationem rerum omniū, regium animū, & digna omnium ſeculorum prędicatione facinora, vobis ante oculos proponite. Quid miremur prius? quid deinde? an commemorabilem Regis clementiam ante hunc diem inauditam? an in ſumma poteſtate rerum omnium modum? an pietatem aduerſus Deum ſingularem? Inuſitatę fuit clementiæ, veteres iniurias multas atque magnas, tam facilè, tanta manſuetudine donare; moderationis, victoriam natura ſua inſolentem ſumma animi æquitate temperare: religionis denique & diuinæ cuiuſdam pietatis, numinis beneficium agnoſcere & prædicare. Statim atque vrbē iniit ſedem ac domicilium maieſtatis, vt Iuppiter Enæſimus, & Alexicacus Hercules, poſt immenſas tēpeſtates, & pertu bationē rerum omnium, iucundam pulcherrimo regno tranquillitatem attulit. Vul-

tus ille regius plenus clementia & humanitate, vt Solis Orientis ſplendor, ciuibus apparuit, qui Cimmeriis pæne tenebris inuoluti, metu & mœrore conficiebantur. Cúmque primùm excitati, vim tantę támque inuſitatæ lætitię non caperent, quam ille Parentis patrię fortunatus in vrbem introitus attuliſſet, ſeipſos taciti circunſpiciebant, & nouam ſibi lucem diuinitus affulſiſſe, noua ſecula penitus aurea, in vrbem, atque adeo in orbem, reuocata mirabantur. Neque tamen illud gaudium liquidum fuit, atque omni ex parte cumulatũ, donec vox ea fuit exaudita, quę velut adytis ſacrarióque patefacto, diuina quædã ſimulachra, & virtutum regiarum admirabiles ſpecies oſtendit. Hactenus inquit, Ciues mei, vos & veſtra perpetuæ bellorum contentiones vexarint, animos deiecerint, fatali quadam odiorum concurſione efferueſcentes & elatos abſtulerint: en vobis lucem, pacem, & beatitatem adfero: Hęc dextera plena victoriis, & totius pæne regni conſenſione glorioſa, vos proteget. Ora huc ad me attollite, vt qui prius fui hoſtibus inuicti animi & ardentis magnitudine


tudine formidãdas, nunc vt Paſtor placidúſque parens, vos ſuauier & complectar. Si quid fuit offenſionis animorum, ſi quæ mentibus impreſſa maleuolẽtia & inuſta, exuratur: ceteræ labes quę malorum conſortio & contagione ſe in vrbes, & oppida immiſerunt, ſepeliantur, vetera omnia condonentur. O iucundum effatum! ô dignum propylęo Delphico ſermonem! ô mirificam orationem, & in ara quondam AEternitatis, non modò in hiſtoriarum monumentis inſcribendam! Quis cantus Gratiarum? quæ muſea mele? quæ Sirenum vnquã ſymphonia illo dicto fuit ſuauior, Pręterita condonentur? Lacedæmonios tumultu aliquãdo, & populari ſeditione commotos accepimus, vt furias concitatas in forum aduolaſſe, ſparis, ſariſsis, & omni armorum genere inſoleſcentes: nihílque propius fuit, quàm vt illa flamma ſeditionis in totius Reip. incendium, & communem perniciem erumperet. Iam hinc inde armatorum cunei fulgentes gladios circumferentes, pulcherrimæ vrbis, quam verè domum conſtantiæ & fortitudinis appellare poſſum, ruinam atque funus

moliebantur : cum Thaletas è Creta citharædus, qui ſuam artem Spartanis auribus bona omnium gratia venditabat, vt Apollo Soter & Muſicus, derepente progreſſus in medium, aurata cithara belliſsimè ſuauiſsiméque perſonuit, quo cantu nubem illam iracundię diſsipauit, impetum animorum edomuit, ſicas, tela, pugiones, vim, furorem depulit, ciues domum fœderum inter ſe pactione conglutinatos reuocauit, mutuam concordiam ſtabiliuit. Qualem dicam lyrā fuiſſe HENRICI diuinam illam & cœleſtem, quæ ſonorum pulſu, & ſermonis haud magna ſed egregiè ſuaui pronunciatione, efferatos ciuium animos potuit componere, tumultuantes placare, armorum temeritatem ſuam in perniciem ruentem compeſcere, mentes placidiſsima concordia & beneuolentia copulare? Hic verò vt oculorum ſic mentis aciem intendite quæſo Auditores, & contuemini facinus pulchrum & inſigne, quod vnum ſua magnitudine aliorum Regum laudes obſcurat atque obruit; quo nomine appellē neſcio, vos potius ex natura ipſa, quàm ex oratione mea rem vniuerſam

penditote. Lutetię tum erant præſidiarij milites bene multi, ad ipſius vrbis defenſionem conquiſiti, Luſitani, Belgę, Itali, Germani, alij, in optimi Regis dominationem neſcio qua tacita cupiditate ſpéque armati. Hi ſanè omnes velut caſsibus impliciti tenebantur, nec recuſare potuerunt, quominus ferro, & omni acerbitate cruciati, inueteratæ perfidiæ, & maleuolentiæ pœnas darent. Quid igitur fecit HENRICVS? quid victor & triumphans imperauit? immiſit exercitum forte ſuū, iam tum lęto rerum euentu ſuperbiētem, vt deuotas illas Orco victimas, eodem quo patentibus campis antea bellauerant, ardore contrucidaret? Nam memini Syllæ qui propter bella feliciter confecta, Romanæ fortunæ filius, atque fauſtus indigitatus fuit, qui cùm ducibus Marianis vi vitam eripuiſſet, tam atroci, támque pertinaci odio, reliquias eſt perſecutus, vt vno die, atque vna ſignificatione voluntatis, in luce populi Romani, in oculis Senatus, quem conſtat pænè morientium cruore fuiſſe reſperſum, aliquot hominum millia mactari iuberet. Non cadit in hanc tantam

humanitatem illa barbaries: victoriam vidimus, victorum nullum immane facinus & crudelitatem vidimus. Iubet Hiſpanos, atque Belgas, quietos ab vrbe recedere: dimittit Italos, ſublatis inimicorum inſidiis, Rheni accolas, qui theſauris olim Gallię cupidius inhiauerant, ſaluos & incolumes abire permittit. Quin & ſuas lectiſsimas cohortes, quarum erat ſæpe in diſcriminibus alacritatem, fidem, conſtantiam expertus, abs ſe omnes in alias ciuitates, limitéſque prouinciarum amandat: Pariſienſium fidei atque beneuolentiæ ſe committit, quā vnā ſibi pro cohorte prętoria, próque firmiſsimo vitæ præſidio futuram pollicetur. Bonum factum, edictum proponit Amniſtię, viros primarios de ſua ſalute opibúſque deſperantes, regia fide gratiáque confirmat: vrbe eiectos, & fortunis ſpoliatos, in patriam redire ſinit, & priſtina frui conditione. Quas columnas & honoris ſignificationes, tibi magne HENRICE, Pariſienſes tui ſtatuent, quas coronas excogitabunt, quibus illa generoſi animi tui interminata, & in omnes partes effuſa benignitas, ornatior fuiſſe videæ-

tur? Athenienſes, vnde iura humanitatis in plurimas alias nationes manarũt, primi coronas inſtituiſſe dicuntur, ad fortium virorum egregia facinora cohoneſtanda: cúmque Periclis ſingularem in adminiſtranda communi re bonitatem, cum admirabili grauitate coniunctã, publico teſtimonio honoris atque laudis ornare vellent, eius caput oleæ ramis inumbrarunt. Iure quidem atque ſapienter: fuit enim ille vir bellica ſciẽtia clariſsimus, terror hoſtium ſpes præſidiúmque patriæ, qui nouẽ pulcherrimis tropheis patriam condecorauiſſet: ſed in hoc maximè efferendus, quod, vt ipſe gloriabatur, nullos vnquam inimicos impotẽti animi cupiditate fuiſſet vltus: quam ob cauſam, illum Olympium, hoc eſt diuinum & cœleſtem, nominatum fuiſſe volunt. Te verò clementiſsime parens, verè Olympie, aut ſi quid dici magnificentius poteſt, quibus foliis, nõ hac communi olea atque lauro, ſed æternis illis & immortali gratia viridãtibns, Ciues tui cohoneſtabunt? Nam cerno animo res geſtas Imperatorum, & aliorum facta Principum, qui ciuilium bellum Tragœdias funeſto exitu & horri-



bili Martis impreſsione clauſerunt. C. Marius aſper & animoſus, & volitans gloriæ cupiditate cùm ab exilio rediiſſet, quò eum inimicorum vis & armata violentia compulerat, ſatellites habuit promptos & ad cædem inſtructos, incredibili armatos audacia, Bardiæi nominabantur: quibus edixerat, vt quos ipſe ſalutatus ſimili officii genere non dignaretur, eos ſubito ſtrictis pugionibus vel medio foro necarent. Conferte nunc Auditores, iſtum reditum in ciuitatem, cum hoc ingreſſu: illam furioſi hominis acerbitatem, cum hac diuina moderatione: cupiditatem vlciſcendi, cum placabilitate ſuauiſsimiſque moribus componite: tum quid interſit inter veterum barbariem & huius æui beatitatem facillimè intelligetis. Principes olim fortunæ muneribus inflati, cùm ſe pingi fingíque curarent, in manibus aut fulmen Iouis, aut horrificum tonitru, aut tridentem, aut alia terroris inſignia habere cupiebant. At noſter Heros in vultu atque fronte ſerenitatem, in ore gratiam & impunitatem, in manu gladium pacata olea hebeſcentem, in pectore lilium omnibus animi corporiſ-

que notis beneuolentiam & haud obſ-curum erga omnes ſtudiū ferebat. Itaq; inopinato Regis beneficio læti Pariſienſes, animo angi & dolere tamen cœperunt, quod non prius tantam clementiam, manſuetudinem, humanitatem cognouiſſent: tum incuſare omnes vulgi leuitatem, aliarum nationum importunitatem auerſari, quæ Gallorum animos factos ad pietatem animíque modeſtiã, panico terrore, fictíſque fabulis commouiſſent: certatim omnes ad pedes accidere, oſculari genua atque manus, regiam facilitatem gloria & prædicatione efferre, ſe vltro atque ſua donare, & quam ſemper aliis Regibus detulerant fidem, officiũ, obſeruantiámque polliceri. O Theophraſte ſapientiſſime diſertorum, & diſertiſsime ſapientum, memini tui: tu dicere ſolebas nullam eſſe accommodatiorem viam ad humanam vitam conſeruandam, conciliandóſque hominum animos, quàm humanitatem, benignitatem, εὐεργεσίαν: tuum dictum veriſsimum atque ſapiens, non exempla modò veterum, ſed domeſtica & recentia comprobarunt. Incredibile dictu eſt ab hoc motu primariæ

ciuitatis, patefacto Regis animo, quãta prouinciarum facta commutatio. Ista placati animi comitas, & regię mentis plena beneuolentię caritatísque humanitas, in Gallorum pectus ingressa, omnia castella manu & opere munitissima, oppida omnia communi quodam studio beneuolentiáque aperuit. Lugdunum Emporium nobilissimum, Aurelianum, Meldę, Auaricum, Rothomagum, alię vrbes, tecta, muros, agros, nemora, focos, aras, familias, sacra, prophana tanquam ex formula dedunt sacrántque. Hinc festi & solemnes igniũ rogi, publicę lętitię argumenta, quorum splendor longè supra nubes euectus, ab Oriente Sole ad labẽtem summa HENRICI gloria penetrauit. Hinc vota pro imperio suscepta, hinc communes omnium supplicationes, hinc omnibus in delubris atque penatibus consecrata Regis clementia, quã omnes tacitis studiis & publico præconio venerebantur. Artaxerxes imperij Persici moderator, singularis benignitatis laudem atque famam est adeptus quòd si qui duces in militia fraudẽ scelúsque fecissent, cùm de more flagris

eorum

eorum corpora dilaniari consueuissent, ipse vestes illis detractas manu agitari & diuerberari iubebat: cúmque prius ad perfidiam eorundem coërcendam, caput indignissima ratione violari, crines auelli patriæ consuetudo, & antiquæ maiorum leges præscriberent, ipse incredibili mansuetudine & facilitate, capitis ornamentum ipsam modò tiaram deponi curabat. Nos HENRICVM ea lenitate, cui parem nulla vnquam ætas vidit, nulla seculorum omnium posteritas videbit, qui non modò ad vlciscendæ perfidiæ causa vestes nemini detrahi imperauerit, sed ne pilum quidem attigerit, qui quos potuit iure victoriæ vita & opibus spoliatos, sempiternæ infamię nota punire, eosdem gratia & summis honoribus regia magnificentia ornarit, quibus studiis, quáve beneuolentia prosequemur? Atque hęc inauguratio & primus Regis introitus ad imperandum, tot & tantis placabilis animi notis insignitus, omen fuit illius felicitatis quæ postea consecuta est, quam vidimus hactenus, qua eodem viuo perfruebamur. Nam verissimè dictum existimo primam dotem impe-

antium esse Clementiam; quam si retinuerint, nec inopes vnquam, nec miseri, nec fortunæ temeritati obnoxij esse posſint. Illa nos æquat diuinæ menti, vt doctisſimi poetæ ſuis verſibus cecinerunt: quę cauſa fuit cur Homerus ſcientisſimus earum affectionum, quæ in naturam hominum cadere poſſunt, cùm præſtantem optimúmque Regem delinearet, Iouem *μειλίχιον*, quaſi mellitæ ſuauitatis appellare conſueuerit, Athenienſes verò *μαιμάκτην* beneficæ mentis, & ad opem ferendam incitatæ. Hæc denique virtus effecit vt ijdem in ſumma rerum omnium poteſtate moderati, patres patriæ claro elogio nominarentur: de qua re Cyrus apud Xenophontem egregie vt ſolet & ſapienter diſputat. Qua laude cùm multi Reges in Gallia præſtiterint; tum imprimis ſanctiſsimus Ludouicus, qui ad diuorum religionem atque lucem imperium Gallicanum ſuſtulit. Eum, inquit Ionuillęus, communi animorum cõſpiratione populus verum Patrem, nobilitas iuſtum Principem conſeruatorémque legum, Gallia vniuerſa regiæ maieſtatis clariſſimam ſpeciem & exemplar, Eccleſia

denique ſuum tutorem Patronúmque nominabat. Qui tametſi iam ab illis tẽporibus, quibus Galliam ſanctitate & auguſta religione illuſtrabat, omnibus fuerit propoſitus ad imitandum, haud ſcio tamẽ an felicius vllus quàm HENRICVS ſit eius animi excellentiam, & amabiles mores ſanctimoniámque conſecutus. Nam quid dicam de eius pietate erga Deum & ſtudio religionis? lubet enim hærere diutius in ipſo initio principatus in quo adhuc mea morata eſt oratio, quæ nondum auſa eſt HENRICVM in ſplẽdidiſsimum illud theatrũ inducere, vbi deinde ſapientiſsimè gubernando tot annos partes egit boni principis omnium virtutum abſolutione perfecti. Illius itaque iam tum inde religioſum animum & ardorem pietatis mecum ſi placet recognoſcite. Poſtridie eius diei quo Pariſios erat ingreſſus, cùm iam timor ciuium reſediſſet, in ea luce clementiæ & humanitatis, & gratulantium voces paullùm deferbuiſſent, templum adiit cæli Reginæ ſacrũ, quod perantiquum eſt Lutetiæ opere mirabili exædificatũ, ſacro inſtrumento lautiſsimum, piorum hominũ frequen-

tia & religione auguſtum. Qui tum e-
rant eius loci religionis præſides, ſacro-
rum adminiſtri, aris & cæremoniis ad-
dicti Canonici, pallis aureis lato cla-
uo & ſtolis inſignibus collucentes, in-
credibili animi voluptate obuiam pro-
dierunt. Rex bonus tum etiam ſui ſimi-
lis, admirabili comitate lignum crucis,
trophæum ac monimentum ſalutis no-
ſtræ, ſibi oblatum, ſingulari animi de-
miſsione veneratus eſt. Tum progreſſus
in penetrale ſacrarium, accidit ante a-
ram maximam, non tam veſte opere
Phrygio & inuſitato artificio picta, au-
ro & margaritis hinc inde fulgẽte, quàm
hoſtia ſalutari, & æterno ſacrificio illu-
minatam. Ibi fixis humi genibus, ma-
núſque attollens, Deo parenti vniuerſi-
tatis, à quo velut è perenni fonte cœ-
leſtia munera deriuantur, grates egit
quantum animus capere potuit maxi-
mas & immortales, quod eius clariſsi-
mo beneficio, quod propenſa beneuo-
lentia, & prouidentia haud vulgari, pa-
ce, corona, & auito ſolio potiretur.
Fuit illud gratiſsimum beatis mentibus
ſpectaculum, regi maximè glorioſum,
vtile ceteris qui ad piam grati animi ſi-

gnificationem commouebantur. Viri principes qui eo religionis ſplendore perſtringebantur, non iam primùm eas preces atque vota ſuſpiciebant: hæc enim optimo Regi conſuetudo fuit propè perennis atque perpetua, vt in rebus grauioribus mentem ad auguſti numinis ſacrarium attolleret: etiam in bello inter arma, in tumultu & tubarum ſono, inter ignes fumúmque ſcloporũ atque fulmina, ſupplicationes adhibuit, & precibus eſt non raro vſus. Teſtis ille eſt Iuriacenſis campus, qui non modo HENRICI ferro & legionibus, verum etiam prece & religione, hoſtiles acies fuſas & fugatas vidit: quam eius orationem poëta nobilis eleganti ingenio & polito, aſtricta numeris oratione æternę memorię tranſmiſit. Sed tamen tum conſtabat inter omnes nuſquam ab eo id perfectum religioſius, quàm in illo Pariſienſi templo, cùm lætus concordia ciuium recentíque triumpho in veri Iouis gremium laurum ferret. Nec defuerunt qui rem altius ſapientiúſque reputantes, in eo animo ſumma religione prędito neſcio quid diuinius ſuſpicerent, quàm quod olim in antiquiſſi-

mis Regibus & Dynastis fuisset inuentum. Nam vulgo principes qui clarissimas victorias de hostibus reportabant, si quid fortè præter hominum expectationem diuinitus contigisse videretur, id fortunæ tribuebant. Timoleon quidem Dux in bello fortissimus atque sapiens, cùm tyrannos è Sicilia omnes vi & virtute exegisset, libertatem iam intermortuam reuocasset, trophæum statuisset, aram & delubrum bonæ fortunę dicauit: eódem Sylla res suas gestas triumphósque referebat. Iulius Cæsar tantum fortunę tribuebat suæ, vt ea comitante, & fluctuum agitationes, & sæuientis maris procellas, non modo armatas classes hostium minásque rideret. Hinc ab Anco Martio fortuna viriliſs in illo domicilio imperij, atque arce omnium gentium consecrata. Hinc postea imperatorij cubiculi custos aurea fortuna, quam honore propè singulari & diuino coluerunt. Sed longè sapientius Christianis legibus eruditus Iustinianus Imperator, qui cum inclytum se nominet, Victorem, Tropæuchum, non Fortunæ inanissimę potentiæ, sed veri numinis auxilium, benignitatem,

μμμαχίαν agnoſcit. Quid igitur? an HENRICVM ſtratũ ante aras & ſumma religione precantem exiſtimabimus Nicephorium Iouem, aut νικητὸν Herculem, aut fortunæ vim, & illum apud veteres dominatum coluiſſe; & non ipſum humani generis beneuolentiſsimũ parentem, cuius antea inuſitatam prouidentiam magnis in rebus & operoſiſſimis agnouiſſet? Apud Xenophontem Cyrus deos laudat victoriã aſſecutus, ceteri principes illius prædicant in eo genere pietatis & mirantur religionem: nos tantam HENRICI pietatem dignam præſtantiſsimo animo & cariſsimo diuinitati prædicemus, quam nulla ingrata obliuio ex hominum memoria delebit. Quod ſi verè magnus olim & in bello & in pace clariſsimus Imperator dixit, Pietate & Iuſtitia deos fieri, cùm tantam Regis optimi exorientem pietatem, auctam deinde amplificatámque videamus; certè fatendum eſt, hac vna re vel maximè, eum ſibi ad æternos cœtus beatorum, & felicitatem, viam muniſſe. Atque hæc fuerunt aurei principatus initia, & quaſi fundamenta illius beatiſsimę cõditionis, in qua tot annos

huius Rectoris admirabili ſapientia, & moderatione Gallia conquieuit. Nunc me parantem de reliqua exædificatione dicere, déque ſplẽdore memorabilium virtutum, quibus vt cœlum ſtellarum globis aureis atque pellucidis, ſic HENRICI vita ornata fuit, ſpecies atrox atque triſtis, & acerba ſanè cogitatio, de repẽte coërcuit & repreſsit. Nam illa virtus, illa glorioſæ mentis agitatio, ille curſus ad ęternitatem heroici nominis & gloriæ tam directus, illa humanitatis inſatiabilis pulchritudo, atque dignitas, ſubito velut turbine ablata eſt, & nos in terris cõmuni fletu cruciatos, luctu ſqualentes, mœrore afflictos, & confectos reliquit. Cùm Seuerus Imperator ſupremum vitæ diem egiſſet, in grauibus ſemper negotijs maximíſque verſatus, Senatus ſapiens iudicauit, illum aut naſci, aut mori non debuiſſe: Te autem Regum optime, laudabile documentum iuſti imperij, & cœleſtis gubernationis exemplar, HENRICE, cõmunis omnium nationũ & mirifica conſenſio declarauit, & his maximè tẽporibus naſci debuiſſe, & digniſsimum fuiſſe, qui aut nunquã, aut ſero morereris.

ris. Quo magis acerbo odio esse conuenit, in eum Orci administrum, & furiarum satellitem, qui cæcus amentia, & furore vecors, ausus est tuam dignitatem impia manu, & inexpiabili fraude violare. Quid? non reueritum esse ipsos oculos indices beneuolentiæ? non pectus domicilium clementiæ & sanctitatis? non pollentem illam manum, quæ victrix in bello, & superbiam domans hominum arrogātium & improborum, toties abiectos diffidentésque suis rebus, inaudita mansuetudine erexisset? nō denique Deum Opt. Max. qui Christos suos, prouidētiæ suæ vicarios, scelere hominum perfidiáque violatos, vlcisci solet? Rex Gotthorum Athanaricus cum ad Theodosium Constantinopolim venisset, & vrbem omni fama superiorem vidisset, templa, fora, palatia magnitudine visenda, pulchritudine & exquisito artificio nobilitata, ciuium frequentiam, Patriciorum dignitatem, argyraspidas atque Spatharios insigni armorū ornatu fulgētes, Imperatorem ipsum Dynastarū choro septum; paullum fixus in acerrima contemplatione, Deus, inquit, sine dubio terrenus est

Imperator, & quiſquis aduerſus eũ manum mouerit, ipſe ſui ſanguinis reus exiſtit. Recte ſanè ille gente barbarus, ſed ingenio ſapiens intelligebat, eum qui hæc terrena numina, hos coryphæos qui ceterorum principatum obtinent, malitiosè attigiſſet, viuũ mortuúmque acerbo ſupplicio mactari oportere. Sd hæ quidem effuſæ querelæ multę & graues cum gemitu & quotidianis lacrymis, ex mœroris diuturnitate, propè iam exaruerunt. Nos Auditores, non HENRICVM mortuum eſſe putemus, ſed à nobis abſentem, & ab hoc regno, quod florẽtiſsimum eſſe voluit, ad opulentiſsimam & maximam ditionem euectum. Et profecto, niſi me animus fallit, nos ex illo pleno ſtellarum loco, iis oculis, quibus omnes exhilarare conſueuerat, intuetur. Græcæ Principes eruditionis ac magiſtri, mortuos à veteribus ἀλεγήστους καὶ ἀχόμψους, & ab hominum commercio remotos vulgo exiſtimatos, ſuis in ſcripris prodiderunt: at nos Regem inclytum, diuum in digetem, Galliæ præſidem, vtilem patrię, & auiti regni diligentiſsimum cuſtodem experiemur. Neque

aliud prouidentię præmium suæ & inusitatę caritatis appetit, quàm vt patriã amemus, quam ex belli ore ac faucibus eripuit: eam religionem & colendi numinis pietatem sectemur, quam florentissimam esse voluit: eius nomen, quod illustrauit pulcherrimis factis & moribus, omni studio & beneuolentia veneremur. Hoc sanè agamus vniuersi, hoc optemus, in hoc omni animorum contentione elaboremus: tum ille dominans omnium Deus, lilia semper quàm florentissima esse volet, & post illam acerbitatis horribilem tempestatem & procellã, felicissimi status vsitato splendore gloriáque recreabit.



ORATIO II.

COMMENDATVR MAGNVS HENRICVS A *pietate, animi fortitudine, & prudentia.*

SEVERI quondam Imperatoris, cùm in Britannia diem extremum obiisset, cineres sunt in Italiam, atque adeo Romã, clarissimum domicilium imperij & virtutis, allati, Auditores. Vrnam sibi, dum adhuc vita & salute frueretur, pulcherrimè & operosissimè fieri curauerat, nam se hominem esse intelligebat; cui tot vię ad extremum fatũ essent propositæ: quam vrnam cùm paulo ante mortem æquo animo placidóque sumpsisset, non sine miserationis quodam sensu, eandem in hęc verba compellauisse memoratur, *Virum capies*, inquit, *quem orbis terrarum angustia non ceperunt*. O tumuli sancti & augusti! ô heroa! ô conditoria! ô vrnæ

ſepulchrales quæ Regis magni dulces reliquias continetis! virum cepiſtis, quem imperium Gallicanum haud cepit, qui nominis ſui gloriam atque famam, ijſdem quibus Sol curſum finibus ac regionibus terminauit. Quanquam quid ego res anima carentes & mutas alloquor? Non enim HENRICVS vrnam πορφυρῦ λίθυ, vt Seuerus Imperator: non ὑδρίαν χρυσήλατον, vt Regis Demetrij filius: non aheneum cadum aut onychinum ſibi curauit, dum in hoc vitæ breuiſsimo curſu æternitatis ſpatia virtute metitur. In veſtris mentibus, Auditores, in memoria veſtra perpetuáque beneuolentia poni collocaríque voluit. hic ſitus eſt, in pectoribus veſtris hęret, hic auream ſibi urnam, hic delubri ſanctitatem, hic quietis portum adlegit. A nobis iuſta exequiarũ & parentalia, à ſuis omnibus flores, coronas, næniam, & legitimi honoris officium poſtulat. Inferias quas poſſumus & debemus incredibilium beneficiorũ memores gratíque ſoluamus. Memnonis olim clariſsimi Principis & diuini cęnotaphium à volucribus cantu & frequentia cohoneſtatum legimus: vos ſua-

uiſsimi & elegãtiſsimi Poëtæ, quos Vates è Græcia nobilis auiculas Muſarum indigitauit, vos albi alites, doctæ luſciniæ, cantu & numeris, & omni genere ſuauitatis HENRICI manes cohoneſtate. Octauius Auguſtus iam Imperator, conditoriũ Alexandri magni: corona aurea impoſita, floribúſq; iniectis, defixus admiratione virtutum ornauit: vos è Pieriis hortis, in quibus roſas nũquã interituras Sappho exoriri aiebat, coronã plectite, aut è liliis cãdidam, aut è roſis purpuream, aut è gramine vireſcentem, vt heroem purpura inclytum, liliorum dominum, patriæ ſeruatorem ornetis. In hoc etiam elaboret omnis oratorum induſtria, hic pangãtur Rhetorum floſculi, huc Suada veneres gratiáſque omnes comportet, huc vibrent fulmina, flumina incitentur, huc myrothecia Tulliana fundantur, in hoc campo medij, ſupremi, infimi, toto quod aiunt pectore, & omni laterum contentione deſudent. Ego verò, ſi quid eſt in me ingenij, quod ſentio quàm ſit exiguum, id omne lubens atque volẽs, Auditores, vobis opinor lubentibus & attente audientibus, ad virtutes regias

prædicandas conferam, ne à me vno tã pium, támque debitum heroi officium prætermissum fuisse videatur. Atque hoc imprimis verissime hic ponatur Auditores, HENRICVM ita regnum suum amplitudine maximum, prouinciarum numero & varietate distinctum, sapienter administrasse, vt nullam regij muneris & officij partem, communi omnium consensione prætermiserit. Hãc verò laudem esse maximam & efferendam, & præstabili viro dignissimam fateamur necesse est; si cogitemus nihil esse difficilius, quàm in summa rerum omniũ potestate versari sine querela: sic, vt nihil impotenter, nimia quadam & non ferẽda licentia fecisse videare. Diocletianus Imperator in orbis terrę procuratione diu fuit, cùm ei omnia ex animi sententia fluerent, cùm nutu & pro libidine gẽtes maximas, barbarásq; nationes coërceret, & in maxima fortunę abundãtia & felicitate viueret. Is deinde priuatam vitæ rationem egit, à bellorum strepitu atque cura, & ciuilium rerum tractatione alienus: quo in otio, præteritæ conditionis memor dixisse fertur, *Nihil esse difficilius quã bene imperare.*

Verè quidem & sapiéter ab eo pronunciatum: nihil enim est procliuius, quàm ex eo loco tam excelso, tam excitato, tam lubrico ruere, & prolabi, nihil facilius quàm in ea bonorum copia, támque lauto & abundanti vitiorum instrumento insolescere. Nec ridiculè magis & festiuè dictum, quàm verè & ingeniose à facetissimo scurra Imperatoris Claudij temporibus existimo, bonos Principes, Reges, Imperatores quicunque olim extitissent, vno in annulo facilè pingi & perscribi potuisse. Hunc igitur qui populum ita gubernarit suum, & in ea dignitate, quæ potest esse maxima, sic vixerit, vt omnes tanquã exemplar innocẽtiæ & integritatis, omni studio & beneuolentia viuum colãt, mortuum desiderent, qua commendatione pro eo ac meretur, quóve laudis genere prosequamur? Memini Victorẽ Aurelium cùm res veterum Imperatorum monumentis historiarum cõsignat, tria quædã esse dicere quæ ab egregiis principibus expetantur, sanctitatem domi, in armis fortitudinem, vtrobique prudentiam. Quam virtutum regiarum partitionem ideo vehementer probo, quod eam

m videam non magnopere ab homi-
um sapientum intelligentia dissidere.
iit enim ea communis opinio Pytha-
oreorum, qui momenta officiorum o-
nium iusto examine pendebant, tres
se partes Imperatorij muneris atque
peræ, in quibus adhibendis, regum o-
timorum prestantissima dignitas con-
aret, *Deos colere, exercitum ducere, iudicare.*
rimum est sanctitatis, alterum forti-
udinis, tertium prudentiæ: de quibus
octissimi homines, Diotogenes, aliíque, multa subtiliter accuratéque di-
putarunt. In his autem quis HENRI-
o aut vnquam fuit, aut futurus est ali-
quando, in omni genere laudis præstan-
ior? Nihil hic dicā de admirabili pie-
ate, de qua fortè dicā alias copiosius:
nam illotis quod aiunt manibus, & im-
paratum accedere ad eam diuinitatem
prædicandam hominúmque memoriæ
propagandam, nefas puto: sed eius ta-
men incredibilē dignitatem & pulchri-
tudinem quasi per transennam licet ani-
maduertere. Non enim quod cuipiam
in mentem venire posset, heros ille no-
ster, dum versatus est inter eos qui Ro-
manam fidem & religionem, aut pro-

pria mentis inductione, aut errore aliorum deſeruerant, ab Eccleſiæ ſanctiſſimis inſtitutis atque moribus alienus fuit. Hæſit animo iam inde à primis annis, atque à flore adoleſcentiæ, cœleſtis quædam & inuſitata pietas, quam inter eas diſcrepantes opiniones, quibus omnes vbique prouinciæ, non ſine communi exitio, miſerè iactabātur, ſartam tectam diuina mens & prouidentia cōſeruauit. Nam priuſquam in luce atque in oculis ſuę Galliæ, in conſpectu purpuratorum quorundam patrum, & Epiſcoporū, in maxima Dynaſtarum frequentia, & populi gratulatione, publica voce & teſtimonio, pleno ardoris animíque, fidem & religionē ſanctè profiteretur, Antiſtites quatuor, magnos viros, Eccleſiæ proceres, religionis præceptores ſibi adeſſe iuſsit: quibus imprimis verè aſſeuerauit, ſe præcipua fidei noſtræ myſteria, prout à nobis ex Eccleſiæ auctoritate explicarentur, intimo in animo, ſine vlla dubitatione tenuiſſe: Chriſtum Deum & hominem, ducem & parentem libertatis noſtræ, in Euchariſtię Sacramento contineri: Romanam vnam Eccleſiā eſſe veram, ſum-

mum Pontificem Christi in terris Vicarium, religionis præsidem, & moderatorem esse dignissimũ, cui omnes summa demissione parere teneantur. Hæc & alia quędam religionis capita, & fundamenta nostræ fidei, tam certa, támque rata sibi aiebat, vt nunquam è memoria penitus excidissent, nunquã cessura Deo aspirante viderentur. Itaque non fuit operosum atque difficile, eum animum tam pium, tam colentem religionis, tam factum ad omnem sanctimoniæ rationem, ad eorum numerũ aggregare, quos Apostoli religionis satores atque administri, sacris ceremoniis atque ritibus plaçare numen venerarique docuerunt. Postea verò quàm se totum in piorum hominũ consuetudinem insinuauit, tum se aperuit totam & emersit ea natura prius abdita & abstrusa, plena virtutis & inusitatæ bonitatis. Iam nihil videbatur esse dulcius, quàm delubra domicilia sanctitatis adire, fructuosissimas audire conciones doctorũ hominum & elegantium, diuinis mysteriis cum incredibili fructu pietatis interesse. Cum Dauide, cum Cõstantino illo Magno, cum Theodosio, cum san-

ctissimo Ludouico, cum ceteris Regibus atque Principibus, quorum fuit nobilitata religio atque bonitas certare videbatur. Quis illas animi excellentis puras & liquidas suauitates cœlitus haustas è diuinarum rerum contemplatione, quis vota & precationes incredibili ardore animi fusas, quis lacrymas tacitæ voluptatis indices posset oratione complecti? Nouum est quod dicam atque recens, non inter priuatos parietes gestum atque in recessu, vbi largius sese pietas solet effundere, sed in augustissimo templo, in medio cœtu nobilium, qui tum frequentes adfuerunt. Pridie eius diei quo vitam hanc ærumnis plenam cum immortalitate cõmutauit, cùm adesset consuetis mysteriis, & sacra numini, Christiano ritu & augusta religione persoluerentur, sensit vim & egregiam motionem diuinitatis, cor ipsum atque pectus incredibili suauitudine liquefacientem: tenere se non potuit, quin vbertim ex diuini amoris impulsione collacrymaret. Legatus qui tum erat summi Põtificis, & rem omni dignam admiratione didicerat, repentè & euestigio Sacerdotem misit virũ gra-

uem & ornatum,qui ſuo nomine, Regi optimo fructus illos vberes atque lætos mirificæ pietatis congratularetur. Quid quod eo ipſo die, qui ſupremus illi fuit in terris, primus vt opinor felicitatis, dum exoriente luce piè vt ſolebat & religioſiſsimè Deum veneraretur, ter duci vela, ter reduci lecti plagulas iuſsit, dum inſueta contentione, atque animo omni in precationes pias incũbit? Satísne ſignificat eam pietatem non inchoatam, non adumbratam atque leuẽ, & quaſi acerbam; ſed veram, ſolidam & expreſſam, iámq; maturam extitiſſe? Imò verò ſic erat in ſanctiſsima Chriſti hiſtoria meditanda & eiuſdem admonitis Euangelio conſignatis memoria diligentiſsimè repetẽdis exercitatus, vt cùm alias res ageret, in ipſo regiæ magnificentiæ ſplendore atque pompa, tamen pias de diuinis rebus cogitationes volueret animo, & rerum futurarũ imaginem depingeret. Nam in eodem illo ſpectaculo & triumpho, quo Reginam Auguſtam & coronatam vidit cum incredibili animi voluptate, cùm adeſſet ea omnium ordinum frequentia, quanta nulla hominum memoria fuiſſet, ipſe

rem dulcissimæ glorię plenam & gratulationis ad extremi iudicij seueritatem pompámque referebat: quod etiam nō moroso vultu, & ad tristitiam cōposito, sed vsitata illa plena humanitatis grauitate, & serio acroamate significauit, Quàm multi, inquit, subita quadam perturbatione obstupescerent, si hic dies, atque hoc tantum lætissimæ celebritatis choragium, in supremi iudicij apparatum cōmutaretur! Quam eius vocem multi Principes admirationis pleni atque stuporis ab ipsius ore ceperunt, & communi deinde sermone literísque celebrarunt. Itaque si olim gloriosum fuit Carolo Magno, & insigne pietatis existimatum, quod cum aureo Euangelio sepulturæ mandari voluerit: erit certè maxima in gratia atque gloria apud omnem posteritatē, quod HENRICVS non aureis in tabellis Euangelium, sed aurea in mente atque animo insignitum moriens extulerit. Ceteri Principes atque orbis terræ moderatores, propter illustrem in ceteros dominatum & gloriæ ornamenta, quibus cœlum prope manu tangere imperióque videntur; dulci fortuna ebrij, raro cogitant de su-

prema numinis poteſtate, niſi fortè aut inſigni calamitate, aut ardore inſueto aëris, aut admirabilibus rebus naturæ vim cõſuetudinémque vincẽtibus excitẽtur. At Rex optimus in medio lętitiæ triumpho, quo ſe omnes in hilaritatem effundebant, ad alia longè diuiniora ſuã mentem & auguſtiora reuocabat: agitabat animo illud celſiſsimũ metuendúmque tribunal Dei iudicantis, Reges vinctos & decore ſpoliatos, reorum ſqualorem & ſeueritatis acerbitatem: tum illi æternę menti, per quam Reges ſuam dignitatem obtinent, cultum & venerationem ſanctè atque ſumma animi demiſsione tribuebat. Quare cùm paulò pòſt impia illa dextera conſcelerati hominis inexpiabili ſcelere mortiferã illi plagã intuliſſet, & ſanguinis copia vias omnes vocis & ſermonis intercluſiſſet, inſitam moribus innatámque pietatem qua potuit ratione oſtendit, dum oculos in cælum attollit, & Dei parentis nutum arbitriúmque veneratur. O Pythagora, te appello: ſi verum eſt quod tuæ alumnus diſciplinæ aiebat, in vita regia primarium eſſe munus & palmare θεραπεύειν θεὸς, Deũ piè caſtéque re-

uereri;habes Regem ea in parte suis numeris absolutum, cuius diuina sanctitudo, nec eorum hominum qui nunc sunt obliuione, nec posterorum reticentia obsoiescet. Sed me rerum maximarum varietas & magnitudo. cogit breuius de quaque re disserere, quàm oportuisset, Auditores: nunc de animi excellentis magnitudine atque robore, & digna heroe præstantia, breuiter etiam strictímque videamus. Hic verò venit mihi in mentem Hannibalis vnius post homines natos militari virtute clarissimi, qui cùm Ephesum aliquando venisset, ibíque in Scipionem incidisset Africanum illum maximum, multarum gentium victorem, & rerum gestarum gloria efflorescentem, inductus sermo est inter eos de præstantissimo Duce & Imperatore: quis videlicet consilio & virtute, & rei militaris scientia, quis acris & inuicti animi laude omnes omnium gẽtium & ætatum principes, & exercituum ductores anteiuisset. Pœnus ille excellenti iudicio, primum locum Alexandro Magno tribuit, quem aiebat bellica disciplina ceteris palmam sceptro & corona fulgentibus præripuisse: secundas partes

partes regi post Alexandrum Magnum maximo Pyrrho, tertias sibi sine arrogãtis animi suspicione tribuebat. Hic Scipio vt grauissimus, sic & summa humanitate ita respondit, vt non quidem de se prędicare gloriosius, sed neque omniũ quos alter memorauisset, postremus fuisse videretur. Dicam vestra bona cum venia, Duces fortissimi, antiquę militię decora atque lumina, qui animi excellentis magnitudine floruistis, si HENRICVS in eam comparationem venisset, ancipitem fuisse & incertam maximè disceptationem futuram. Nam quæ tandem in eorum qui à me nominati sunt, commendationem adferri possunt, quæ non ego vel in meo Rege maiora, vel certè paria fuisse doceam? Erat quidem magnanimus Alexander strenuus, & animosus, domuit gentes multitudine innumerabiles, locis infinitas: multas vrbes atque prouincias, quò nõdum Macedonum tela & sarissæ penetrauerant, sub imperium suũ ditionémque subiunxit: sed cum iis tamen ex India nationibus certauit, quos antea Dionysius, mulierum incinctus choro, non militum armatorum phalãge, cor-

nuum bombis, atque inſano bacchantium curſu & clamore ſuperaſſet. Qui etiam Imperator vino victus, & languidus voluptate, ſæpius amens ebriúſque iacuit, quàm cum hoſte de vita & imperio dimicarit. In HENRICO quid ſimile fuit Auditores? cuius ſanè adoleſcentia, non minus traducta eleganter & generosè, quàm illius Græci principis, & armorum tractatione ſtudiíſque bellicis erudita fuit: qui rem habuit cum illis hoſtibus, quos æquo marte vincere propter incredibilem ardorem animorum, & belligerandi ſcientiam, glorioſius haberi debet, quàm molles Indiæ populos, atque omnem barbariam, vi, ferro, victoriáque delere. Ab eius verò perfecta vndique & abſoluta vitę honeſtate, tantum abfuit illa Alexandri plena dedecoris turpitudiníſque vinolentia, vt in ipſo temperantiæ gremio inſtitutus educatúſque fuiſſe videatur. Superior igitur Alexandro Magno feliciórque in bello fuerit: at Pyrrho fortè generoſi & perfectiſsimi Imperatoris gloria inferior. conſtans enim inter auctores fama eſt, inquit Iuſtinus, nullum, nec eius, nec ſuperioris ætatis

Regem cóparandum cum Pyrrho fuisse. Imò verò quantum Pyrrhus ceteros, tantum ipse veteris memoriæ duces atque Reges qui summorum imperiorum fundamenta iecerunt, bellandi scientia, & virilis animi excelsitate superauit. Nam vt nobis antiqua historiarum monumenta referunt, Pyrrhus quidem, vt ad deuincenda regna inuictus habebatur, ita deuictis acquisitísque celeriter carebat: quæ causa fuit cur Antigonus elegantissimi iudicij princeps, indocto eum lusori cópararet, qui cùm & multa, & feliciter edat, iis tamen nesciat vti, sed è manibus ipsam quasi ridentē blandientémque fortunam euolare sinat. Itaque valuit in eo Rege fortissimus animi impetus & cócitatio, omnia fortiter animoséque aggrediēs, qua remissa & elanguescente, ipse cursus victoriarum, & iam exultans & triumphās gloria minuebatur. Videte nunc Gallorum aciem HENRICO duce bellige antem. nihil imprimis tam difficilè fuit támque arduum, quod non animi virtute quadam eximia & fortitudine moliretur: nihil tam septum, tam munitum vndique & circumuallatum, quod a-

cerrima & fortiſsima contentione non caperet; nullum genus hoſtium tam audax, tam elatum ferocitate atque impotentia, quod non armis & manu coërceret: vnde conſtat eũ non minus quàm Epirotam ad deuincenda regna inuictũ exiſtimandum: in hoc ſanè multò ſuperior, quod ille impetus cœleſtis & diuinus nunquam elanguit, ſemper dominans atque victor, ſemper hoſtium ceruicibus imminens, eadem felicitate parta imperia conſeruans, qua facilitate quæſiiſſet. Apud ſcriptorem Romanæ hiſtorię nobilem & ornatum dictum illud eſt magni viri Annibalis temeritatem & inconſtantiam leniter reprehendentis, *Non omnia nimirum eidem dij dedere*, inquit; *Vincere ſcis Annibal, victoria vti neſcis.* Veriſsimè quidem dictum, prout tũ hominum virtus naturáque ferebat, non omnia deos eidem dediſſe, & vt lyra poëtica cecinit, *nihil eſſe ab omni parte beatum.* quo ſpecioſo veluti inuolucro Annibalis illa mollities remiſsióque obtegitur. Sed profecto nunquam HENRICVM illa monitio aut excuſatio tetigit, qui cùm fuerit Dei præpotentis munere atque dono, omni ex parte per-

fectus & expolitus, vincere potuit, & victoria felicissimè est vsus. Lateant igitur in tenebris antiquitatis illæ summorum Ducum & Imperatorum bellicæ virtutes atque triumphi: ne quidem Africanus à me nominetur, qui in euertendis potius ciuitatibus, quàm in regēdis constituendísque fuit felicior. apud ceteras nationes eorum memoria, cum audientium admiratione celebretur, iaceat in Gallia, in hoc virtutū regiarum splendore, & in hac tanta bellicæ laudis præstantia, quæ omnem veterum excellentiam, sua luce, & magnorum operum perfectione præstinxit. Itaque non committam vt in hac laude rei militaris amplificāda, prædicandáque animi fortitudine, cum alio potius quàm cum seipso, compositus HENRICVS & à me comparatus fuisse videatur. Et quidem mirabilem eius cursum video, ad eam laudem, qua ceteris omnibus ductoribus, imperatoria virtute præstitit. Inter bellica facinora, atque in ipso Martis sinu pænè educatus, ineunte adolescentia, maximi exercitus delectus fuit Imperator, bello maximo, atque

acerrimis hostibus, cùm Gallia propè in perniciem rueret voluntariam. Eius partes cùm afflictæ prius essent, & aliquot præliorum clade vehementer accisæ, tantum valuit eius egregia indoles, virtus, felicitas, vt subito mirabilis omnium rerum fieret commutatio, & eius ductu atque auspiciis, meliori in loco reponerentur. Itaque prima illa ętas ad scientiam rei militaris, non alienis prę ceptis, sed suis imperiis est traducta, quo tempore, insignibus victorię, & honore triumphi dignissimus videri posset, nisi hostes Galli essent, & in ipso patrię gremio certaretur. Diu eramus in eodem malorum orbe versati, atque omnes Gallię prouincias ciuilia bella miserabiliter attriuerant: cùm ecce tibi scissa Discordia palla è faucibus inferorum sese efferens bellicũ cecinit, quo cantu atque horribili significatione effrenatus furor, importuna audacia, scelus, perfidia, clades, vastitas, in medias vrbes sese inijciunt. HENRICO tertio ad tertiam cæli coronam euecto, successor alius quærebatur imperij Gallicani, quàm quem Deus & natura prouidissent. Hinc exercitus multi

& magni ſuperbiſsimo delectu, & duriſsima conquiſitione collecti, & pænè dicam Europæ vires in vnum armatæ: quas omnes incredibili alacritate, inuicti animi patientia, conſilio, auctoritate, re etiam gerenda ſuſtinuit. Nihil laborioſius aut exercitum magis dici aut fingi poteſt: incredibile dictu eſt quot & quãtas difficultates exorbuerit, quot ęrumnas exhauſerit, quantis in periculis ſit verſatus. Domi cum perfidia & ſcelere pugnandum fuit, & diſcrimen vitæ ſubeundum: foris vrgebat ferocientium gladius, quorum cruore pugnantium ipſa Regis tentoria, menſa, cubile, reſpergebantur. Vrbium defectio nunciabatur, accurrebat; debilitatas metu legiones recreabat, collocatas inſidias maturê diſijciebat, amicos & fœderatos in officio continebat ſuo, copiis ſuis diuerſiſsimis in locis poſitis, ſæpè vno eodémqne tempore prouidebat, omnem in partem volitabat: quocunque acceſsiſſet, vim, vitam, alacritatem afferebat. Deus immortalis! tantúmne potuit eſſe vnius robur & excelſi animi fortitudo, vt tantam rerum & difficultatum molem ſuis humeris ſuſtine-

ret? Fortunæ illam duritiem asperitatémq; voraret? Herculis ærumnas eásque quotidianas & infinitas perpeteretur? Rex AEthiopum cum Amasi AEgyptiorum Rege olim de sapientia & interpretandi subtilitate contendebat, cúmque sæpius scirpos & ænigmata proposuisset, quæ alter eleganti iudicio acutè subtilitérque dissoluerat, misit tādem griphum ad AEgyptium, pro imperio iubens vt mare vniuersum hauriret: quem nodum Amasis cùm soluere non potuisset, ad Biantem de sapientibus Greciȩ vnum, expediendum misit. O Amasi! ô moderator AEthiopum! ô Græci sapiētes! iam inuenimus Regem qui vastum mare exorbuerit, tot aduersȩ fortunæ flatibus, tot fluctibus incommodorum, tot periculorum procellis, tot monstris exitiorum plenum & redundans. Delius hîc natator vndis haustus mersúsque perijsset: & ex omni mortalium conditione vnus HENRICVS hunc tantum vt fluctuūm, sic calamitatum concursum excipere potuit & sustinere. Sed quemadmodum Iulius Cæsar cùm vētorum vi agitatum & turbidū esset mare, nautáque vehementissime re-

me re-

me reformidaret, Cæſaris fortuna comitante, nihil timendum eſſe dixit: ita HENRICVS quem præſides Galliæ Genij, patriæque fortuna comitabatur, illo ęſtu reciprocantium malorum hauriri non potuit. Imò verò quanta fuit in eo conſtantia? quanta æquabilitas animi in ea fortuna perferēda? in tanta oppidorum defectione, in ea turba & varietate hoſtium, in penuria non deliciarum, ſed rerum ad vitam neceſſariarū, nunquam animus deiectior & fractior, ſemper celſus & erectus, & ad ea quæ accidere potuiſſent, excipiēda paratus: τετράγωνον planè diceres illum Simonidis, qui per omnem fortunę & rerū mutationem firmiter conſiſtat, qualem veteres magis in libris, quàm in rebus gerendis habuerunt. Sapientes olim aiebant AEgyptij, aſtra in circuitu illo ſuo perficiendo, modo erigi, modo deprimi, & in ea varietate fieri peiora aut benigniora, quàm alioqui fuiſſent. At Rex inclytus quāuis aliquando aduerſæ fortunæ flatu deprimi videretur, aliquando læto rerum ſucceſſu attolli; ſumma tamen animi æquabilitate perfruebatur: ſemper ille conſtans animus & ge-

nerosæ mentis excellentia, vt amica humano generi stella benignissimam lucem fundebat. Quæ fortiter animoséq; patiendo exantlarit memoro: quid agendo? quantum eadem excellẽtiæ magnitudo eluxit? Princeps ille Græcorum poëta, cùm viros principes strenuè & acriter pugnantes vult exprimere, eos cum lupis, cum apris, cum leonibus magna carminis varietate componit: HENRICVM verò fulmineo ense pugnantem & cœlestibus armis, cum quo meritò & satis pro dignitate comparauero? vllúsne fuit tam ferox & furiosus ad resistendum, aut ad feriẽdum obiectus, quem non imperatorio ardore oculorum atque animi, fatalíque manu stratum abiectúmque dimitteret? Baiazetus Turcorum Imperator homo impiger plurimísque trophæis ornatus, noto cognomine dictus Hildrin fuit, quod fulmen siue turbinem in ea Barbaria significare aiunt. Ea verò honoris appellatione, nescio an vim quandam viri igneã & humàna maiorem, aut mirificam in bello celeritatem, conficientem omnia & obterentem; an vtrumque, an aliud quidpiam voluerint ex-

primere: sed quidquid tādem illud fuerit, minus est, quàm vt mei Regis incredibile animi robur, vim, & inuictam cōstantiam æquare posſit. In ductu militum, in acie disponenda, in committendis præliis, in ciuitatibus obſidendis, in perferendis temporum & locorum iniuriis, in laboribus hauriendis, strenuúsne miles an fortis Imperator dicendus foret, pronunciare fuit difficile. niſi forte quòd Pacatus in Traiano laudauit, ducem consilio, militem exemplo: aut Velleius in Mithridate, consilijs ducem, militem manu appellare voluiſſes. Talem fuiſſe Alexandrum illum Magnum exiſtimo, commemorabili virtute conſtantiáque principem, & æterna memoria digniſsimum, qui cùm ſuos ad agendum fortiter non imperio magis quàm exemplo inuitaret, illud dictum ab Homero βασιλεῦ τ' ἀγαθῷ κρατερῷ τ' αἰχμητῇ, & crebro ſermone vſurpabat, & vehementiſsime laudabat. Quid hic memorē captas ab HENRICO ciuitates? quid deletos hoſtiū exercitus bene magnos & omni armorum apparatu horribiles & infeſtos? Sed vereor ne hac mea oratione patriæ

vulnera, quæ consanuisse videbātur recrudescant: scio quàm inuidiosum sit in iis triumphis victoriísque exultare, quę de ciuibus reportatæ fuisse videantur. Facilè patiar iacturam earum laudum, quæ cum eorum qui audiunt acerba recordatione & domestico mœrore copulentur. Non hoc petit is quem amantes suspicientésque laudamus, de quo verissimè id dicemus quod de Theodosio illo tropæucho sāctissimus Augustinus: Bella ciuilia nō sicut Cinna, & Marius, & Sylla, & alij plures, qui nec finita finire voluerunt: sed magis doluit exorta, quàm cuiquam nocere voluit terminata. Ista sanè temporum labes omittatur vestra bona cum gratia Auditores, communis omnium calamitas immissa diuinitus ad amplissimi regni maculas exurendas, sempiterna obliuione sepeliatur. Quanquam quid me opus est domestica prælia recensere, cùm externa multa & formidolosa cōmemorare possim, in quibus HENRICI virtus, egregia cognitio rei militaris, & diuina cœlestísque animi fortitudo eluxerit? Vos enim appello atque testor Alpium iuga, & sola prouinciarum vltimarum,

quæ vidiſtis illius exercitum nullis anguſtiis impeditum, nullius obiectu valli interclusum, liberè volitantem & victorem. Vos Burgundi humi ſtrati, & in humana effigie neſcio quid auguſti reuerentes, regni ſui fines vltra Ararim, trans Rhodanum proferentem agnouiſtis. Nihil potuit, nō dicam iuſtiſsimam eius indignationem & acerbitatem iracundiæ, ſed nutum leuéſque minas ſuſtinere. Sedanum obliquis tantum oculis aſpexerat, tremuit, ſuccubuit, imperata fecit. Mommellianum natura loci munitum, ita in altum excitatum vt omnia deſpiceret, ita prȩſidiis, cuſtodiis, vigiliiſque firmatum, vt non modo hoſtium pila atque enſes, verum etiam baliſtas fortiſsimas & immane tormentorum fulmen flammáſque rideret; ſtatim atque increpuit vox HENRICI impreſsionem minitantis, ſuperbum illum verticem ſupra nubes euectum ad illius pedes abiecit. Omnia denique quæ nulla vis atque virtus aliorum Imperatorum perfringere & domare valuiſſet, HENRICO vidiſſe, viciſſe fuit. Itaque armorum ille crepitus cùm fuiſſet tam reſonans, vt vicinis in inſulis atque a-

deo remotiſsimis prouinciis regníſque exaudiretur, cùm ſplēdor ille victoriarum omnes omnium oculos perſtringeret, non mirum ſi Mediolanum cohorruerit, & Italia vniuerſa quaſi tumultu Gallico nunciato, pæne dicam iuſtitium indixerit, vacationes ſuſtulerit, ad vltimi temporis Senatuſconſultum confugerit. Proh ſancte parens vniuerſitatis mūdi opifex & rector Deus! tantúmne roboris atque mentis te vni homini conceſsiſſe, vt exiguo temporis interuallo, id conficere unus potuerit, quod neque ceteri omnes Reges & Dynaſtæ vno anno, nec omnibus annis vnus omnium maximus Imperator facere potuiſſet? Repertum eſſe Principem vnū in Gallia, qui vt excetrā capitibus pullulantem, ſic hoſtem nouis ſubinde copiis furentem exultantémque domi cóprimeret, foris terrorem ſui nominis circumferret, manu, cōſilio pugnaret, reſiſteret, funderet, fugaret, ad omnia occurreret, vno tempore caſtra aliena obſideret, caperet, euerteret, ſua firmaret, tueretur, ſemper victor & triumphator? Ait dæmonius Ariſtoteles dum politiam illam excellentem inſtruit,

non nisi vnum magistratum à singulis gerendum, singulas enim curas singulis concessas melius expediri. Cuius dicti rationem inuestigandæ veritatis princeps Plato prius assignauerat, dum negat libris de Legibus, tantam esse vim atque robur naturæ humanæ, vt quis duabus rebus aptè inseruiat. Et quidem ita est Auditores, Pectora nostra duas non admittentia curas, dictum à Poëta sapienter. hoc non modo in libris veterum, sed ipso vsu quotidianis in officiis muneribúsq; experimur. Quid Iustinianus Imperator? quid ille doctus à Themide, & corona iurisprudentiũ cinctus enunciat? Non est, inquit, vlla ratione credendum, vnum duabus etiam necessariis rebus posse sufficere. Quanta igitur fuerit laus Magni HENRICI, qui tot res, tam difficiles & negotiosas iudicio disponere, summa prudentia administrare, incredibili animi constantia & facilitate conficere vnus potuerit? an non hic meritissimo Lacones exclamẽt θεῖος ἀνὴρ οὗτος, planè diuinus, supra cõditionem aliorum euectus, qui Orthiã quod aiunt, modulationem virtutis canere solus possit? Itaque non mirum si

deo remotissimis prouinciis regnísque exaudiretur, cùm splēdor ille victoriarum omnes omnium oculos perstringeret, non mirum si Mediolanum cohortuerit, & Italia vniuersa quasi tumultu Gallico nunciato, pæne dicam iustitium indixerit, vacationes sustulerit, ad vltimi temporis Senatusconsultum confugerit. Proh sancte parens vniuersitatis mūdi opifex & rector Deus! tantúmne roboris atque mentis te vni homini concessisse, vt exiguo temporis interuallo, id conficere unus potuerit, quōd neque ceteri omnes Reges & Dynastæ vno anno, nec omnibus annis vnus omnium maximus Imperator facere potuisset? Repertum esse Principem vnū in Gallia, qui vt excetrā capitibus pullulantem, sic hostem nouis subinde copiis furentem exultantémque domi cōprimeret, foris terrorem sui nominis circumferret, manu, cōsilio pugnaret, resisteret, funderet, fugaret, ad omnia occurreret, vno tempore castra aliena obsideret, caperet, euerteret, sua firmaret, tueretur, semper victor & triumphator? Ait dæmonius Aristoteles dum politiam illam excellentem instruit,

non nisi vnum magistratum à singulis gerendum, singulas enim curas singulis concessas melius expediri. Cuius dicti rationem inuestigandæ veritatis princeps Plato prius assignauerat, dum negat libris de Legibus, tantam esse vim atque robur naturæ humanæ, vt quis duabus rebus aptè inseruiat. Et quidem ita est Auditores, Pectora nostra duas non admittentia curas, dictum à Poëta sapienter. hoc non modo in libris veterum, sed ipso vsu quotidianis in officiis muneribúsq; experimur. Quid Iustinianus Imperator? quid ille doctus à Themide, & corona iurisprudentiũ cinctus enunciat? Non est, inquit, vlla ratione credendum, vnum duabus etiam necessariis rebus posse sufficere. Quanta igitur fuerit laus Magni HENRICI, qui tot res, tam difficiles & negotiosas iudicio disponere, summa prudentia administrare, incredibili animi constantia & facilitate conficere vnus potuerit? an non hic meritissimo Lacones exclamẽt θεῖος ἀνὴρ οὗτος, planè diuinus, supra cõditionem aliorum euectus, qui Orthiã quod aiunt, modulationem virtutis canere solus possit? Itaque non mirum si

ad eum inuictum, omnes vndique victoriæ aduolarint, ſi fores Luparæ tot laurus, tot coronæ triũphales ornarint, ſi tot illi prouinciæ celebrandi honoris cauſa ludos inſtituerint, ſtatuas poſuerint, ſingulares & diuinos honores quæſierint, ſi denique gentes omnes atque regna, illum vnum omnium Regũ maximum, pium, felicem, & victorem exiſtimarint. Huius igitur præſtãtiſsimam rei militaris ſcientiam, admirabilẽ conſtantiam, fortitudinem illam inuictam & cœleſtem non admiremur? non laudemus? nõ omni ſtudiorum genere proſequamur? Demoſthenes oratorum coryphæus vt Deum quendam admiratur Cononem Athenienſem ducem fortunatiſsimum in bellis atque fortem, qui ex omnibus Imperatoribus ſolus nihil vnquam bello amiſiſſet, οὐ πόλιν, οὐ φρούριον, οὐ ναῦν, οὐ στρατιώτην, quod ſingularis & diuinæ cuiuſdam fuit aut fortitudinis aut felicitatis. Romani verò cum Iulium Cæſarem ſimul externis & domeſticis bellis victorem triũphatorémque animaduerterent, ſummi honoris ſignificatione, ſtatuam illi inauratam in Quirini templo dedicarunt, inſcribentes

ſcribentes *Deo inuicto.* Quam ſtatuam HENRICE ter maxime, bellis omnibus ſingulari tua virtute compreſsis atque reſtinctis, æternæ tuæ memoriæ patria conſecrabit? quæ per te victrix & coronata, beato iam otio & diuturna pace perfruitur. Ganges olim Indorum Imperator, cum Scythas è Caucaſo efferueſcẽtes, à ſuorum exitio atque ceruicibus egregia animi contentione remouiſſet, adamantinos gladios ſeptem humi defodit, vt regionem nullus vnquam timor inuaderet. Tu gladium illum tuum, non ſtrictum ad tuorum perniciem, ſed ad metum ſceleratæ perfidiæ collucentem, tot inſignem coronis, tot triumphis notatum, in medio Galliæ ſinu poſuiſti, qui metum à nobis in omnes ſeculorum omnium ætates, infortuniúmq; arceat, & fundatum ſumma gloria imperium, dum hominũ genus erit, tutetur. Hic gladius, quem non manu atque opera Vulcanus fecit, ſed diuina prouidentia maximo quaſi artificio fabricata eſt, tantæ virtutis atque excellentiæ recordatione, finitimas gẽtes reprimet, audaciã franget, impetus, ſi qui exiſtẽt, furorémque tardabit: di-

gnior profecto qui in omnibus fanis & delubris, quàm Vitellij pugio, aut veterum heroum gladij, consecraretur. Itaque vniuersa Gallia, me auctore, omni vocum & animorum conspiratione tibi accinet, quod à Romanis Imperatore Pertinace ab hominibus erepto, ingeminatis diutissimè plausibus est clamatum: Pertinace imperante, nos HENRICVM dicamus, securi viximus, neminem timuimus, patri pio, patri Senatus, patri omnium bonorũ. Sed in hoc laudis gloriæque spectaculo, in hac luce præstantissimæ fortitudinis mea diutius morata est oratio, nec auelli potest Auditores. Et tamen hoc tertio loco de prudentia dicere constitueram, quæ regij muneris atque officij custos quædam atque moderatrix appellari solet. De illa verò quid à me dici potest, aut vobis nouum, aut cuiquã ignotum, quod non potius eius dignitatem pulchritudinémque infringere, quàm illustrare videatur? Sed pensum tamen, quoniam ita vultu significatis, soluamus; verum breui, vt admirabilem istam virtutem, quasi peregrinũ & ignotum hominẽ prætereuntes, paucis ver-

bis & humanissimè consalutemus. Atque in bello quidem illa fuit tanta, quãtam ex superiori oratione cognoscere haud obscurè potuistis. Neque enim tot victorias reportare potuit, quas miramur; neque trophæa in remotis prouinciis statuere, quæ nulla iniuria temporum aut hominum delebit obliuio; nec Galliam in hac otij atque pacis tranquillitate collocare, sine diuina quadã admirabilíque prudẽtia, quę conatus illius omnes ad felicitatẽ prouexit. Parum enim sunt arma foris, inquit Romanæ facundiæ parens, nisi consilium sit domi: nihílque est procliuius quàm vt vis cõsilij expers mole ruat sua. Quare Astronomi cùm perfectam dominationem describunt, & astrorum coniunctione metiuntur, Soli perpetuũ comitem Mercurium esse volunt, vt qui vident illum siderum dominũ atque Regem absque sapiente Mercurio nunquã in cœlo incedere, intelligant humanam dominationem sine prudentia nũquam stabilem aut diuturnam esse potuisse. In pace verò atque politia, in administrandis grauissimis regni negotiis, in communi vita, in omni genere humani-

tatis, in iis officiis quæ propria regum sunt moderandis, quanta fuit HENRICI prudentia, quis non dicam ornare dicẽdo, sed assequi animo & cogitatione posſit? Nã ſi rectè ratiocinari velimus, omnia planè bona, quib⁹ multis atque magnis tota iam multos annos fruitur Gallia; omnia, inquam, humanitati, vigilantiæ, prudentiæ Regis optimi ſunt tribuenda. Principum animos aut diſsidentes, aut ſpectantes ad defectionem ſic placabat, ſic deuinciebat humanitate, ſic in gyrum rationis compellebat, vt quæ aliis deſperata videri potuiſſent, componeret, & ad ſuam honeſtiſsimam voluntatem accommodaret. Itaque iam illum omnes, non vt de Regibus vnum, qui multis auorum titulis potentiáque polleret, ſed vt quendam de cæleſtium Principum grege, diuinum Heroem exiſtimabant, qui ad ſtatum regni florentiſsimum aut inſtituendum, aut conſeruandum, inuſitata prudẽtia modos & rationes excogitaret, quas mirari potius, quàm æmulari ceteri potuiſſent. Neque verò, quod pleriſque vſuuenit, turbido aliquo motu iracundię & cupiditatis, aut vitioſa

& inconstantiæ plena temeritate ad res aggrediendas ferebatur, sed quasi Biantem audiuisset sapienter illud præcipiētem νόει, καὶ πράττε, consilium adhibebat & prouidentiam, nec hominum vsu valentium admonita repudiabat. Et vt erat diuina mente & consilio pręditus, qui acutissimè & celerrimè posset videre & explicare vniuscuiusque rationem, sæpe fiebat, vt cùm ceteris aqua hæreret, & se nimium impeditos in eo quod cōmodissimum esset persequendo faterentur, ipse nodum & difficultatem non tam gladio Alexandri, hoc est arbitrio & inani potentia, quam ingenio prudentiáque solueret. Hoc sanè prodigij cuiusdā atque miraculi instar habuit, quod qui à teneris, quod Græci dicunt vnguiculis, vix doctrinas à limine salutauisset, dum Mars Apollinē exigit, tamen optimè rerum causas & consecutiones videret, & cogitata superaret hominum eruditorum & sapientum. Prorsus vt in eum quadrare videretur Liutprandi Regis Lōgobardorum illud elogium à bono auctore proditum, *Literarum quidem non admodum gnarus, sed Philosophis æquandus.* Hinc illa in externis

tatis, in iis officiis quæ propria regum sunt moderandis, quanta fuit HENRICI prudentia, quis non dicam ornare dicēdo, sed assequi animo & cogitatione possit? Nā si rectè ratiocinari velimus, omnia planè bona, quib⁹ multis atque magnis tota iam multos annos fruitur Gallia; omnia, inquam, humanitati, vigilantiæ, prudentiæ Regis optimi sunt tribuenda. Principum animos aut dissidentes, aut spectantes ad defectionem sic placabat, sic deuinciebat humanitate, sic in gyrum rationis compellebat, vt quæ aliis desperata videri potuissent, componeret, & ad suam honestissimam voluntatem accommodaret. Itaque iam illum omnes, non vt de Regibus vnum, qui multis auorum titulis potentiáque polleret, sed vt quendam de cælestium Principum grege, diuinum Heroem existimabant, qui ad statum regni florentissimum aut instituendum, aut conseruandum, inusitata prudētia modos & rationes excogitaret, quas mirari potius, quàm æmulari ceteri potuissent. Neque verò, quod plerisque vsuuenit, turbido aliquo motu iracundię & cupiditatis, aut vitiosa

constantiæ plena temeritate ad res
ediendas ferebatur, sed quasi Bian-
audiuisset sapienter illud præcipiē-
νόει, καὶ πράττε, consilium adhibe-
& prouidentiam, nec hominum vsu
ntium admonita repudiabat. Et vt
: diuina mente & consilio preditus,
acutissimè & celerrimè posset vi-
e & explicare vniuscuiusque ratio-
n, sæpe fiebat, vt cùm ceteris aqua
reret, & se nimium impeditos in eo
od cōmodissimum esset persequen-
faterentur, ipse nodum & difficulta-
n non tam gladio Alexandri, hoc est
bitrio & inani potentia, quàm inge-
o prudentiáque solueret. Hoc sanè
rodigij cuiusdā atque miraculi instar
ibuit, quod qui à teneris, quod Græci
icunt vnguiculis, vix doctrinas à limi-
e salutauisset, dum Mars Apollinē exi-
git, tamen optimè rerum causas & con-
ecutiones videret, & cogitata supera-
ret hominum eruditorum & sapientum.
Prorsus vt in eum quadrare videretur
Luitprandi Regis Lōgobardorum illud
elogium à bono auctore proditum, *Li-
terarum quidem non admodum gnarus, sed Phi-
losophis æquandus.* Hinc illa in externis

æquè ac domesticis plena honoris admiratio, hinc rectissimus cursus negotiorum ad eum finem, qui præstabilis & maximè accommodatus esse potuisset, & cũ summa dignitate coniunctus: hinc illa Gallici imperij gloria atque fama per omnes oras atque regna terrarum, ab ortu Solis ad occasum maxima celebritate fusa & propagata. Quod si verum est quod aiebat Socrates, cuius ingenium variósque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, prudentes esse eos existimandos, qui minimè aberrarent: vno omnes ore fateamur, HENRICVM prudentiæ laudem egregiam obtinuisse, qui sine casu aut prolapsione tot annos Gallię regnum administrarit. Habes igitur HENRICE Maxime, fortissime, sapientissime, habes egregii animi pulcherrima ornamenta, quæ summi viri atque sapientes in principibus viris esse voluerunt. Omnium ora atque oculi sunt in te vnum cõuersi, stupéntque homines in hac admirabili tuarum virtutum excellentissimarum specie; in quarũ luce ac splendore aliorum Dynastarum laus omnis extenuatur ac vanescit. Confitentur

præ se ferunt illi olim tuæ dignitatis
potentiæ æmuli, neminem vllo gene-
laudis superiorem, sed ne quidem
rem vnquam fuisse. Victorino, qui
llias administrauit, ait Trebellius, ne-
inem præferendum, non virtute Tra-
num, non Antoninum clementia,
on grauitate Neruam, non in guber-
ando ærario Vespasianum, non in cen-
ura totius vitæ ac seueritate militari
ertinacem, vel Seuerum: de te plura,
uàm illi edere potuerunt, omniũ gen-
ium linguę, omnium temporum histo-
iæ, omnium seculorum annales sen-
ient & prædicabunt. Sed quid loquor?
cur viuum & spirantem adhuc atque a-
deo pręsentem existimabam? tantúmne
potuit illa rerum humanarum vicissitu-
do omnia domans & euertens, vt stan-
tem hanc imperij columnam auderet
concutere? O rem luctuosam & acerbã!
o calamitosum non vnius modo Gallię,
sed omnium penè populorum casum!
Illáne tanta HENRICI humanitas
extincta est? illud Europę decus æter-
num interijt? corruit igitur Christianæ
religionis columen, quo dominante, vel
in media Turcarum Barbaria veræ pie-

tatis vexillum ponebatur? Necesse est, summe Deus cæli terręque moderator, vt nos humi strati, & immemores beneficiorum tuorũ, iam impudenti nec ferẽda offensione tuam perennem & singularem bonitatem lęserimus, qui nos plaga insanabili & aspero supplicio sis punitus: aut tu HENRICVM beatorum domiciliis illis auratis, & gemmarum nitore collucẽtibus digniorem iudicauisti, quàm hoc misero & funesto, & pleno acerbitatũ omnium loco. Viuat sanè in altissimis tuis sedibus omniũ bonorum abundantia circumfluens & beatus, iam exutus mortalitate sempiterno tecum regno & corona potiatur. His ęrumnis tot & tantis laboribúsque defunctus, in tuę suauitatis glorięque sinu conquiescat. Tum tu vim illam potẽtissimę dexterę tuę nostris adhuc ceruicibus imminẽtis, vniuersę Gallię fletu & mœrore placatus, si placet cohibebis: vt per te afflicti, per te etiam recreati, tuam immensam & infinitam clementiam laudemus, & ardenti amoris studio prosequamur. DIXI.

ORA-



ORATIO III.

DE MAGNI HENRICI ADMIRABILI PROVIDENtia in Catholica Religione literiſque propagandis.

AMPHIDAMAS Chalcidenſis vir fuit cumprimis nobilis, & Reipub. gubernandę peritiſsimus, Auditores, qui cùm Eretrienſes plurimis bellis victoriiſque fregiſſet, tandem ab illis in conflictu & acerrima dimicatione interceptus, vitam ſuam quotidianis periculis expoſitam cũ honeſta morte& glorioſiſsima cõmutauit. Ciues memores beneficiorum & exaggerati animi, quo omnes omnium temporum duces & patrię lumina ſuperauerat, ad ęternam herois cõmendationem, ſuperbiſsimo apparatu & exquiſito artificio, marmoreum monumẽtum columnis aureis nobilitatum faciun-

dum curarunt. Iam inde fuit etiam institutum; vt quotannis ad ſupulchrum, die prodita, è nobiliſsimis Græciæ vrbibus conuenirent elegantiſsimi poëtę ſuauitudinis architecti, & eloquentiæ proceres, qui præmio victori propoſito, ingenij neruos induſtriaque cótententenderét, in laude clariſsimi Regis memoriáque celebranda. Fuit illa ætas felicior, quàm quæ vnquam aliquando fuiſſet, in alendis doctorum ingeniis, & clarorum hominum fama propaganda. Nam cùm magna ſeges poëtarum tum eſſet, qui à Muſis & Apolline docti, vel à Deo quopiam ficti ad dicendum viderētur; duo reperti ſunt vno anno omnis memoriæ principes Homerus & Heſiodus, qui certatim Amphidamantis monumentum aureo fœtu animorum atque omni verſuum elegantia ornarent. Quod cùm mecum attentius reputarem, ſic exiſtimabam, non id quidem à Græcorum humanitate & moderatione alienum; verum iuſtius moderatori Galliæ tribuendum eſſe, vt ad eum merita prædicatione cohoneſtandum floréntiſsima vndique ingenia, Muſarum luſciniæ, & in Academiis coryphęi ſtu-

diosius concurrerēt. Neque verò expectandum est, vt ab vna quapiam ciuitate, extructa moles opere magnifico exædificetur, quæ sit testis animi egregij sempiterna; cùm ipsa Virtus regi optimo atque fortissimo, tot locis, tã variis, tam opportunis immortale monumentum suis quasi manibus extruxerit, quod eius famam nec obliuione eorũ qui nunc sunt, nec silentio posterorum insepultam esse patietur. Vellem equidem, Auditores, vt Homerus aliquis Hesiodúsque hic existerent, diuini homines, & maximè suaues in dicendo, qui politissimis versibus, eam gloriam, omni monumento maiorem prosequerentur: quibus volens tripodem aureum Chalcidensi longè potiorem, victorum præmium cõsecrarem. Nec despero fore propediem bene multos qui in ea re curam industriámque locent suam: sed rem ego sic propositam omnibus existimo, vt qui optimè possint, velle debeant; qui non possint, etiam id quod possunt, iure ab iis repeti posse videatur. Accipite igitur Rhedonenses, non prompti & iam de schola perfecti adolescẽtis breuem & politam orationem.

ſed deuoti animi conatum, qui quam ſe cumque in partem conuerterit, admirabilium rerum ſplendore circumfuſus debilitatur ; ſed hæſitantiam linguæ ſtuporémque mentis dictionis meę breuitas ſubleuabit, quæ vt de Deo, parca & reuerens, & tacita religione ſuſpenſa titubánſque circumferetur. Cùm multa verò ſint in Regis optimi ſanctiſsimis moribus, omnium eruditorum prædicatione celebranda; lucet maximè inflammata quædam & honeſta cupiditas, amórque ſingularis, tum in Catholica religione propaganda, tum in bonis artibus longè latéque diſſéminandis, quibus rebus eſt conſecutus, ut eum æquè ſui & alieni cum diuorum cœleſtium religione atque veneratione coniungant. Neque enim aureis alis Euripidis, aut æthereis ſubtiliter à Platone fabricatis HENRICVS μακαρίτης, ſed hac gemina cupiditate ad diuorum concilium & fortunam eſt euectus: qui cùm primũ ad regni moderationem acceſsiſſet, in hoc ſibi elaborandum diligenter, & omni cura atque induſtria connitendum exiſtimauit, vt Pietas atque religio, quę varia-

rum opinionum inuolucris atque nubibus erat abdita, in lucem priſtinúmque ſplendorem educeretur. Neque verò quod inclementior quiſpiam atque durior facere potuiſſet, vi & armis quorundam hominum inſolentiam, quæ tamen in dies impunitate ipſa alebatur, repreſsit & edomuit : ſed cùm omnes inter ſe contrariis ſententiis diſcrepãtes, ſectis varios, religione diſſentientes, quietos eſſe voluiſſet & placatos, homines adhibuit doctos imprimis & vitæ innocentia claros, qui toto animo & inquiſitione, in veritatis intelligentiam incumberent, ſcriberent, agerent, tractarent, cócionarentur: vt qui eſſent illo quaſi æſtu atque Euripo turbidarum opinionum exagitati, atque in alto fluitantes, elata face veritatis, in ſalutis portum tutum & iucundum appellerent. O diuinum Regis optimi conſilium admirandámque prudentiã! quam propter eximias vtilitates multi iam voce literíſque prædicauerunt! Pericles totius Græciæ nobiliſsimus & magni animi excellentia venerandus, cùm Reipub. ſtatum vellet eſſe florentiſsimum, animúmque ſuũ appuliſſet ad res

omnes componendas, vnde patriæ felicitas & commune otium expectabatur, Anaxagoram euocauit plenum mentis & sapientiæ virum, cuius ductu consilióque vteretur in maiorum consuetudine propaganda, in laudatis Heroum moribus in cõmunem vitam vsúmque reuocandis. Quæ videmus sic ab illo feliciter perfecta, vt eũ Athenienses quasi vnum de numero beatorũ, quos in claro cæli domicilio Iupiter docuisset, suspicerent & amarent. Laudo illũ Grę-cię Principem Auditores, & gloria efferendum memorandúmque puto, vel quod ita bene suis ciuibus, patrięque esse voluerit, vel quod tanta perfecerit, quę veterum annalium monuméta persequuntur: sed illi Regem nostrum vel instituendi sapientia, vel perficiendi felicitate longè pręferendum aio. Nam Anaxagoras quidem, tametsi plures vitę annos in philosophię tabernaculo contriuisset, & animo scientiáque hausisset quę veteres Sapientes de naturis rerum mirabiliter suis in scholis librísque reliquissent: erat tamen in cęlestiũ cognitione rudis & imperitus, sic vt Solem ignitum esse lapidem assereret,

Lunã autem Solum quoddam illuminatum incredibili varietate, in quo montes & depressę conualles, & camporum ęquora planitiésque viserentur. Itaque magnum virum excitauit ille quidem Periclem, & vt gladiũ, sic mentem exacuit, vt ad Ciues bene beatéque regendos, modos atque vias excogitaret: sed profecto nudos Athenienses inopésque reliquit eius Sapientię, quæ beatæ vitæ rationem explicat, & directas eius regiones metitur. At noster ille Sapiens moderator, cùm videret suam Galliam ignorantiæ situ & pædore squalentem, iã multis in locis castę religionis ignaram, prauitate opinionum imbutam, erroribus dissipatam, moribus sui dissimilem; eámque vellet ad pristinum splendorem reducere, viámque felicitatis: non Anaxagoram nescio quem elegit nomine Philosophum, de minutis rebus ieiunè in otio ternuiterque disserentem; sed claros & præstãtes in omni genere scientiarũ viros, & refertos Sapientia diuina & humana, qui nõ modo quid Sol esset Princeps ille luminum reliquorum possent dicere, sed ipsum iustitiæ Solem, fontem lucis, & oculum

diuinitatis politis concionibus ante omnium oculos ſubijcerent, & ad eum perueſtigandum cōtuendúmq; inflammarent. Hos ex omni Doctorum numero ſingulari iudicio delectos, probè cognitos, multum atque diu in Chriſtiana eloquentia verſatos, hominū fama & opinione celebratos, in varias vrbes prouinciáſque amandabat, quas ſciret temporum injuria, aut hominum ſcelere & maleficio incultas à maiorum puriſsima religione & ſanctitate deſciuiſſe. Quos partim ampliſsimis Sacerdotijs, & communis pietatis adminiſtratione cohoneſtauit; vt is honor ad honeſtiſsimum quæſtum animarum aditum patefaceret: partim etiam religioſa paupertate locupletes potius quàm auro honoribúſque affluentes ad muneris grauiſsimi difficultatem ardore animi ſingulari inflammauit. Publium Scipionem Pauli AEmylij natura filium, & nepotem Africani, alta quadam mente præditum omniū gentiū literis atq; linguis ſumma gloria & prædicatione ornatū videmus, in quo ſic virtutes eminebant omnes, fortitudo in periculis, in ſumma rerum poteſtate modus, iuſtitia, pru-

tia, prudentia, vt quænam præstaret ceteris vix statui posse videretur. Eum aiunt communi Senatus decreto populíque iudicio lectum, qui prouincias omnes peragraret, quæ Romani Imperij terminis continerentur, vt esset morum inspector & moderator æquitatis. Quam in rem cùm omnem curã & cogitationem intendisset, doctum hominem è Græcia Panætium Philosophiæ nomine gloriosum accersiuit, cuius in dictis & sapientia conquiesceret ad eam quæ propria iustitiæ est æquitatem in vrbibus & oppidis collocandam. Bene id quidem sapientérque factum veteris æui lumina censuerunt, quorum sententiæ meam lubens adscribo: sed ego idẽ sic confirmo, non esse vlla ratione cum Magni HENRICI diuina cęlestíque prudentia comparandum. Neque enim vnius opera Panætij est vsus, ad ius diuinum, Christianásque leges per Galliã vniuersam propagandas, sed doctissimorum Theologorum, qui concionibus grauissimis id fecerunt, plenis animi, ardoris, pietatis, vt tum demum nostra lilia suum candorem habere viderentur. Itaque ex illa Panætij pere-

grinatione, & conatu Scipionis, nullas vrbes aut traductas ad humanitatem, aut grauissimis erroribus solutas accepimus: sed hæc cura prouidentiáque Regis optimi per eos diuinitatis internuncios nefarias de diuinis rebus opiniones sustulit, veras inseruit, plurimos aberrantes perfidiæque mancipatos ab ipsis Orci faucibus reuocauit. Testis Cantabria, quę sibi doctissimum Antistitem è regio sinu missum lubens agnouit. Testis etiam, vt quod propius abest ab oculis memoriáque attingam, ciuitas Cadomensis, testis in eadē prouincia Depensis, testis præterea Ambianensis, testes aliæ oræ atque vrbes, in quas regijs auspicijs, & paterno imperio, doctorum hominum grauissimæ conciones, disputationes, commentaria, lucem fidei veritatísque immiserūt. Quare multi reperti sunt viri graues in vetere dignitate fortunáque parentum orti, stirpe nobili & antiqua prosapia: multæ item nobiles & honestæ matronæ fœminæque lectissimæ; haud pauci doctrina atque optimarum artium studijs eruditi, qui cùm essent à prima pænè pueritia in hæreticorum castris, & o-

dioſo erroris dominatu verſati, vnius Eccleſiaſtæ voce ſermonibúſque commoniti ſeſe in ſinum Romanæ Eccleſiæ & ſalutis portum contulerunt. Qui profectò dum anima ſpirabunt ſua, dum huius vſura lucis fruentur, quoties de bono illo ſuo taciti cogitabunt, toties de ſummo & inaudito Regis beneficio, & immenſa erga ſuos caritate & beneuolentia cogitabunt. Atque hæc à me nominum appoſitione illuſtrarentur, niſi tam vobis eſſent nota quàm mihi: quæ ſanè, quantum mens mea coniectura poteſt aſſequi, monumentis annalium mandabuntur, fama & omnium ſermone celebrabuntur, poſteritati propagabuntur. Hic incenſus támque interminatus in patriam amor, qui regium pectus inflammabat, non modo in pura puta religione ſpargenda, verum etiam in bonis ſtudiis proferendis, & doctrina liberali vel per vltimos Galliæ fines amplificanda, vehementer eluxit. Nam fons ille Gratiarum totiúſque ſuauitatis, quem magnus olim Galliæ moderator ſumma cum laude ſuorúmque vtilitate Lutetiæ Pariſiorum diuinitus aperuerat, neſcio quo fato, propè iam

exaruiſſe videbatur. Iam ſplendor Academiæ, qui omnium gentium oculos illuſtri gloria perſtrinxerat, imminuebatur. Muſarũ illi hortuli multi atque nobiles, qui prius tot luſciniarum veluti cantu & eloquentia perſonabant, lectiſſimo flore iuuentutis ſpoliabantur. Neque verò id doctorum hominum penuria contigiſſe puto, aut viæ in docendo totiúſque rationis ignorantia, quæ ſæpe adoleſcentium ſtudia interturbare conſueuit: nam ea ſemper fuit dignitas Academiæ, ea apud omnes exiſtimatio, vt è remotis Gallię prouinciis, exteríſque nationibus, ſplendidiſsimis ingeniis homines, eò certatim vt in arcem Palladiam confluerent. Viget adhuc ſempérque viguit eloquentia Princeps Critonius politiſsimus in dicendo, qui ſingulari felicitate myrothecium Ciceronis totum excuſsit & facundiam eſt aſſequutus. Erat in curſu Marſilius ingenio præſtãti, eruditione decocta iam & perfecta, cum aliis ſtudij eiuſdem bene multis, quorum voces vt Sirenum cantus etiam duros repugnantéſque tenuiſſent. In regendo, familiam ducebat Gallandius, doctiſsimæ palęſtrę clarus

Epiſtata & Gymnaſtes, qui labentem illam gloriam ope atque opera fulciebat. Iam in ſtudiis grauioribus excellebant acutiſsimi Philoſophi naturę interpretes, Theologi eruditiſsimi & grauiſsimi Duuallius, Gamachæus, apices quidam diuinę loquentis Sapiẽtię: plurimi alij, docti omnes cęleſtium arcanorum myſtagogi, qui cùm dies atque noctes in pulcherrima dicendi contentione verſarentur, cùm elaborarent diligenter, & omnes ad eas epulas animorum, Pontificum cœnis potiores, quotidianis ſermonibus euocarent; nõ eam tamen adoleſcentium frequentiam, quæ multos ante annos fuiſſet, animaduertebant, non eam illorum copiam, quî prius eò, tanquam auidam ſitim explere cupientes inflammato ſtudio rapiebãtur. Inter eos bellorum ſtrepitus & tubarum cantus, qui Gallię partem magnam efferauerant, multi aliò ſuas omnes curas ſtudiáque contulerant: cùm non modo leges inter arma, verùm etiam Muſę cũ Apolline ſiluiſſent, & res domi foret imminuta, plures animum ad mercaturam faciendam, & quęſtuoſiſsimum genus artium admouerãt. Ita-

que Mercurius qui Logius quondam, Princeps mentis, Hegemónque fuiſſet, derepente & eueſtigio in Venalitium & Cerdoum euaſit. Hic verò quid Rex Sapientiſsimus effecerit, quid molitus ſit, quid excogitarit, pauliſper cum animo veſtro cogitate. Dedit imprimis ſummis viris eam prouinciam, vt Academię diſciplina, ſi qua fortè cōmunium temporum fuiſſet perturbatione labefactata, maturo conſilio Sapientum, nouis legibus ſtabilita confirmaretur. Fuit in ea re ſtudiosè elaboratum, & ratio bellè ſanè & prouidentiſsimè conſtituta. Scriptæ leges, ad amuſsim & libellã omnia reuocata; ipſe ardor & pecuniarum appetitio, ne virtutis & humanitatis officinas importunitate violaret, reciſa: illiminata in ſcholis moderatio: nihil procliuius iam fore videbatur, quàm vt illic Muſę omnes ſedem ac domiciliũ collocarent. Sed iuuentus longè & latè toto regno volitans & ſolutior, quę cęca libidinibus & voluptate nimium obſurduerat, illa pręclara, & Sapienter excogitata non exaudiebat. Hîc Rex Magnus diuino conſilio, faciamus, inquit, quod in naturis rerum vi-

demus euenire: videtis fluminum alueos riuulorum accessione redundare? Ita fiet, vt in vrbibus, variis Collegiis ædificatis, vbi iuuentus ad humanitatem informetur, hæc bonarum doctrinarum mercatura, Principe in vrbe cõsueta frequentia & splendore celebretur. Nulla deinde mora interposita Societatis Patres inaudita & singulari beneuolentia inuitat, quos sciret si nô doctissimos & magnarum artium cognitione circunfluentes; at industrios & laboriosos, & in tractandis adolescentium animis multum atque diu exercitatos. Domum habuit in vrbe Flexiensi lautam & elegantem, sed non tam regia magnificentia, quàm ipso Genio & traductę pueritiæ recordatione venerabilẽ: hanc sedẽ esse voluit eruditionis, hoc Musæum humanitatis, hanc arcem modestiæ & religionis, in qua magistri versarentur ex eodem ordine lecti, nobilitatis Gallicanæ præceptores. Quid hic primũ demirer, Auditores? aut quo nomine tã præclarum, tam Heroe dignum facinus indigitabo? appellem cómemorandam & diuinam beneficentiam? an Sapientiam? an benemerendi studium?

an in patriã atque ſuos incredibilem caritatem? an potius ſimul omnia, & munificẽtiſsimam Sapientiã & ſapientiſsimam caritatem; & egregium, planè regium bene merendi ſtudium, aut aliud quod ad rei magnitudinem exaggerandam excogitari poſſe videatur? Magnum, fuit in tanta imperii maximi potentia, tot negotiis ſummis & operoſis & quotidianis occupatum, ad ſtudia componenda, & doctrinas liberales diſſeminandas animum adiunxiſſe; rarum & ante hunc diem inauditum, in ſcholarum vſum regiam domum conceſsiſſe: ſed eos homines illi præfeciſſe. qui propter maleuolorum improbitatem & improborum maleuolentiã diuturna inuidia iam flagrabant, eam ipſam nebulam inuidiæ, luce inducta veritatis regio afflatu diſcuſsiſſe, in eorum diſciplinam florem Galliæ Principéſque iuuentutis tradidiſſe; ea verò ſunt, quę cogitantẽ animum ſua magnitudine poſſint opprimere. Itaque fecit vt nõ modo religioſi illi Patres quos æterna beneuolentia ſibi deuinxit, ſed ne quidem omnium religionum homines, omnium vrbium ciues gratiis referendis pares
eſſe

esse videantur. Mihi verò in maiorum nostrorum gloriam intuēti, haud paulò minor Galliæ videtur esse felicitas, quã cùm olim Caroli Magni temporibus, se magnarum scientiarum altricem gloriabatur. Nam cùm ille manu, lingua consilióque Princeps, pius, felix, imperij moderator Lutetię Parisiorum nobilem Academiam instituisset, tum fugientes è Latio literæ, nostris hominibus tam nouo támque præstabili ornamento lætitia exultantibus, in eas sedes eruditionis immigrarũt: nullúsque fuit tam nihil habens iudicij & humanitatis, qui non Caroli de inscitia triũphos, longè clarissimis bellorum victoriis anteferret. Et tamen si annalium historias consulamus, ea fuit illorum temporum barbaries, vt cùm maximus ille Imperator Parisios aliquando venisset, vix vnus aut alter è nobilitate reperiretur adolescens, qui diuturnæ specimen institutionis in doctorum hominum cœtu posset edere. Te verò Magne HENRICE, quibus laudibus prosequamur? qua beneuolentia complectemur? qui non modo rudem & inchoatam omniũ artium disciplinam, sed florentem &

multis in locis pænè dicam gloriosissimè triumphantem reliquisti? Memini quondam duos clarissimos Imperatores Valentinianum & Valentem diuinis propè honoribus consecratos, quod Christianos professores, quos Iulianus à docendo auocauerat, scripta lege perhonorificè reuocassent. Id effatum pulcherrima lege comprehensum in Codice Theodosiano de professoribus exaratum fuit, vbi illi orbis terræ gubernatores ad Pręfectum Prętorio Mamertinum rescribunt, vt si quis erudiendis adolescentibus vita pariter & facundia idoneus extitisset, aut nouum instituere auditorium, aut repeteret intermissum. Quod edictum prouinciæ deinde omnes atque populi, admirabili studio, summa omnium ordinum voluptate & vtilitate ceperunt. Eius facti præstantissimam dignitatem Rex noster, Auditores, admirabili gloria superauit, qui non modò vetera domicilia iis hominibus restituit qui in formandis adolescentium animis suam operam vigiliásque posuerant, verum etiam tecta sua nouo genere beneficentię concessit, instruxit officinas Sapientiæ, & vectigali

peropportuno regiôque locupletau...
Quare Flexia theatrum fuit elegans & ornatum in medio Gallię sinu gremióque situm ad virtutes regias capiendas, ita resonans, vt vsque in oras vltimas quas Sol Oriens cadénsque videt, HENRICI magnæ Sapientiæ testificationes vocésque referantur: vt nō sit mirum, si omnes imperij Gallicani prouinciæ sint excitatæ ad eam laudem celebrandam, in qua exteri capti admiratione exhorrescunt. Nullus enim sic est, à Musis & humanitate alienus, sic tam similis Imperatori Licinio & Timoni, sic ab omni ratione derelictus, qui non sentiat, non in eam modo vrbem, sed in regnum etiam vniuersum, simul cū Musis nouum quendam ardorem honestatis amorémque virtutis inductum: & qui candidè rem omnem suis ponderibus momentísque librarunt, hoc pænè modò ratiocinantur. Vt Camillus propter inuictam in seruanda Repub. diuinámque constantiam, animíque excellentiam, alter Romulus & fundator ciuitatis nominatus fuit: sic HENRICVM ter Maximum amplificata gloria literarum, quasi quendam bonarum ar-

tium parentem, instauratorem, exornatorémque fuisse. Hinc sanè Principes ciuitates quæ pacato florentíque statu Reipub. suam omnem administrationem ad decus & dignitatem referebant, regium exemplar imitatę, Collegia vel antiquà restituerunt, vel noua, summa gloria magnísque opibus ædificāda curarunt, Rhemensis, Ambianensis, Rothomagensis, Cadomensis, plures aliæ, quæ nihil vtilius iuuentuti, nihil omnibus ordinibus salutarius existimauerunt, quàm vt ea publicæ mentis honestatísque domicilia constituerent, in quibus virtus puerorum animis committeretur. Vos autem Rhedonenses quos in oculis sinúque habeo, hîc absque scelere & maleuolentia præterire non possum, vos regiam prudentiam æmulati, in illustri totius Armoricæ loco, in luce patriæ, in complexu grauissimi Senatus, commune Musæum, amplissimum Gymnasium constituistis, quod ego quidem veterum exhedras, peristylia, platanonas, Xystos, ephebea, longè pulchritudine, sed multò magis solida vtilitate anteire puto. Illæ ædes quas singulari diligentia apparauistis, illa subsellia in quibus doctorum

hominum voces audiri voluiſtis, illæ ſcholæ Athenarum pœcilem ſuperantes, non magis veſtram prouidentiam & in patriam caritatem, quàm HENRICI beneuolentiſsimam humanitatem, & in bonas artes amorem teſtantur. De tanto támque admirabili Regis beneficio, de veſtro præſtabili ſtudio, nulla ſeculorum omnium ętas, nulla tam ingrata poſteritas memoriáque conticeſcet. Gratianum ferunt Imperatorem, eum qui è Gallia ſibi doctorem literarum aſciuerat, ad Antonium Pręfectum Pretorio edixiſſe, in primis Gallię ciuitatibus, Metropoles appellabat, excitanda alendáque eſſe ſtudia literarum. Pulchrum facinus & Imperatori congruum, dicerem felix & fortunatum, ſi rei euentus illi prouidentię voluntatíque reſpondiſſet. Nam tum fuit ea temporum licentia, tum bonarum artium inopia quędam atque ieiunitas, vt paucarum vrbium limitibus & cancellis iiſque ſanè peranguſtis, doctorum hominum ſcientia concluderetur. Nunc verò cùm tanta ſit hominum ſeges multitudóque Sapientum, cùm tanta ſit oborta lux eruditionis, vt omnes etiam angu-

los & recessus longè abditissimos illuminarit, cùm Musæ velut aureo curru triumphantes, qualem Pindarus suauissimo carmine delineauit, regiis auspiciis vniuersam Galliam peragrarint, an non fatendum est HENRICVM vnum id effecisse, quod ceteri omnes Imperatores vix vnquam optare potuissent? Quo ęquius mihi ignosci postulauero, qui languidius subtiliúsque pridē versor in pulcherrima re explicanda, quę omnem omnium oratorum facundiam exuperet. Nullius enim tam est acutum & abundans ingenium, nullius tanta dicendi vis & copia, quę non dicam augere ornādo Magni HENRICI gloriosam illam Sapientiam queat, sed memorando explicare. Nam cùm sua magnitudine mentem opprimit & obscurat, tum efflorescet in dies magis, & per annos consequentes ad memoriam nominis sempiternam, & perennę decus Gallię propagabitur: & ni mea me fallit cōiectura, si eum quē ceperunt cursum tenere studia potuerint, prouideo animo iámque prę sentio, quantum ex ea regis liberalitate & studio, sit honoris & incrementi bonis artibus & liberalis-

ſimis ſtudiis acceſſurum. Non iam vt olim è remotis orbis finibus barbariſque nationibus, ad vnam modo Pariſienſem Academiam Sapientiæ domum inuiſendã, doctiſsimi homines admiratione ducti accurrent: ſed vbicunque figent veſtigia, in quacumque Galliæ vrbe, ſi modo alicuius nominis atque pretij, contulerint; doctrinarum clariſſima veſtigia, non preſſa leuiter ad ſpeciem inanis prudentiæ, ſed altè impreſſa ad diuturnam temporis cõtinuationem occurrent. Licebit intueri ſumma cum voluptate Muſarum ſplendidiſsima domicilia Regis optimi aut recenti beneficio inſtituta, aut nutu imperióque reſtituta. Non poterunt hoſpites & peregrini non vehementer admirari choros iuuentutis per medias laudes Sapientiç quaſi quadrigis albis vehentes, iis præſertim in oppidis, vbi olim tenuis literarum fama conſenuerat. Tum videlicet in tanta luce & ſplendore cognitionis, nos beatiſsimos ferent & prædicabunt, quibus tantus ad præſtantem eruditionem ductor, famæ auctor, impulſórque virtutis, diuina quod aiunt virgula ſit conceſſus. Inſulam quandam in

Oceano ſcribit fuiſſe Hecatæus è Galliæ regione ſitam, Hyperboream nominatam, vbi Phœbus ſummis & continuis honoribus coleretur, In eam decimo nono quoque anno Apollo veniebat cognitionis Deus paréntſque doctrinarum, qui ſe in hominũ cœtum inſinuans, cantu & fidibus & odore diuinitatis omnium animos ſuauitudine perfuſos leniret. Quo dono atque munere ſic omnium mentes reficiebãtur incolarum, ſic efferebantur lætitia & gloriatione, vt ſe hominum fortunatiſsimos exiſtimarent. Quam te video mea Gallia! quãtis donis & cæleſti ſuauitudine fortunatam, in quam venit HENRICO duce laureatus Apollo, non modo cantu & numeris, verum etiam omni genere cognitionis inſtructus, vbi non breui tẽporis intercapedine poſt diuturnam abſentiam hæreat, ſed in qua lubens in omnem æternitatem moretur omnis elegantiæ doctor & humanitatis. Erat olim ſchola quædam humanitatis Conſtantinopoli, bibliotheca pulcherrima, ſpendidiſsima domus, quam Manaſſes Conſtantinus Amorum hortum, lucum omnium Gratiarum appellat, & cũ horto illo

to illo Edenæo, cui Adamus cumulatus felicitate præfuit, conferri merito posse dicit. In ea fuit thesaurus librorũ clarissimus, qui multa millia voluminum cõplectebatur, cui duodecim homines longè doctissimi & summa vitæ innocẽtia præfuerunt; qui omnes simul cum ea Musarum domo, non leui sed multo maxima Oriẽtis calamitate sunt extincti, furente in Ecclesiam Catholicã Leone Isaurico Iconoclasta. Id musæum, arx illa Palladia, religionis armamentarium, fuit semper habitum eiusmodi, vt eo florente omnia suam dignitatem habitura, cadente penitúsque deleto in grauem intolerandámq; perniciem ruitura omnia existimarent. O Flexia! quàm flos ille nobilitatis tuæ alumnus disciplinæ, quam maximi Regis gratia, fauor, beneuolentia, tot & tantis significationibus declarata, ad cælestes propè orbes cœtúmque beatorum, fama & celebritate sustulit; vereor ne te magnificè glorioséque circũspiciens, te solam Amorum illũ hortũm, Charitũ hospitium, Phœbi Semnæum esse putes. Non est ita; nec debes eius, quo patrono verè pio verè augusto

& cælesti gloriaris, diuinam prouidentiam exiguis illis cãcellis definire. Tota, tota Gallia est iucundissimus hortus Gratiarum regia manu consitus & ornatus, qui mihi videtur Hesperidum fructus aureos, pensiles Assyriorũ delicias, Adonidis hortos, Alcinoi pometa superare. Gallia, inquã, est Amorum hortus, Edenæo similis, Constantinopolitano longè nobilior, in quo sata & respersa dicta Sapientum, oracula veterum, effata nouorum, respõsa prudentum, multiplex eruditio, iura, leges, encyclopædia; &, vt breui dicam, humana & diuina summa perfectione reperiuntur. Hunc hortum excolunt nõ duodecim tantum homines disciplinis eruditi, sed innumeri omnibus iis artibus quæ sunt libero homine dignæ perpoliti, mysteriorum interpretes, religionis duces, humanitatis præceptores. Denique iure quodam suo Gallia se regium & amœnissimum hortum appellarit. Nam in hortis videmus partitas sectiones admirabili varietate, ambulationes, areas, puluinos, interualla, pergulas frondibus inumbratas, herbarum luxuriem & viriditatem, ter-

ræ geniũ, artis ingeniũ: hic ridere violas, illic rosas, hic lilia aureis crocis, rotundis calicibus cæli decus imitantia: fragrare hic nardum, flagrare flammulam, Hiacynthum purpurascere, calendulã Soli obsequi, luce aperiri, cœlestem cursum æmulari. In medio, vt ferè fit, vitreum fontem atque pellucidũ videre licet exquisito artificio structuráque perfectum, in quo sit labrum & immissarium marmoreum, aut ex ære inaurato modulus, vnde postea riuis aut siphunculis aqua in areolas & Stibadia deriuetur. Date mihi hanc veniã Topici Genij atque Præstites, vt in hũc hortum Galliarum, in thalamum Gratiarum, in lucum Apollinis mea cursim ingrediatur oratio. Deus immortalis! quæ species oboritur oculis meis! quæ locorum suauitates! quæ amœnitates! quàm me delectant flores aurei inscripti nomina regis! quàm me recreat nõ odoratus tantùm, sed & aspectus! video imprimis vt in horti medio, sic in Galliæ vmbilico fontem Academiæ vberrimum Lutetiæ positum & extructum, qui tot locis patefactus aquam mittit, non Marciam illam veterem, sed Ro-

manam virginem, sanè virginem propter illud decus Sorboneum, quod nunquam incestis erroribus & flagitiosa libidine, religionis integritatem Romanámque pietatem violauit. Hic verò quot Gymnasia tot castella sunt & diuidicula, vberibus mammis atq; aureis epistomiis manantia: hinc vt ex lacu, per centenarios tubos & salientes, salutares vndæ Sapiētię per omnes partes funduntur. Circunducite mecum oculos in istas deinde areolas toto regno matura prudentia regis optimi distributas, in puluinos omni florum suauitate refertos & abundantes, vnde afflatus odor maximarum vrbium iuuentutem reficit & recreat: in lucos eos Camœnarum & Daphnones, vbi tot apum, clarius dicam, Poëtarum mela atque mella, tot auicularum scita quadam vocum inflexione canentium, hoc est oratorum polita & numerosa dictio, vbi argutulæ Philosophorum disputationes, tot grauissimæ conciones Theologorum, vbi denique illa herbescens viriditas scientiarū, & omni tempore anni insignium florum copia, quanta liliorum pulchritudo! quanta rosarum!

quanta violarum vbertas! quanta varietas ornamentorum! Enimuerò hæc tot & tanta HENRICIANO Sole vigent, florent, sese efferunt, animantur. Ille viuidam vim claro & sereno vultu immisit, illius aura beneuolētiæ solum hoc regni tepefactum ad omnē doctrinarum maturitatem fœcundum reddit. Cùm igitur in Gallia videamus efflorescere Collegia, in Collegiis ingenia, in ingeniis laudem existimationémque virtutis; dubitemus hanc felicitatē nostræ nationis propriam & perennem Regis beneficio hoc æterno prouidentiáque futuram? Nascenti quōdam Aureliano, cui postea sui regendi quasdam quasi habenas Romanus populus attribuit, hoc imprimis orbis terræ imperiū summúmque dominatum portendisse suauis politúsque scriptor Callicrates Tyrius memorauit, quod in corte eius matris, quæ tum erat Solis antistes, rosæ odoris grati, floris aurei exissent. Quid sperandum est de imperio Gallicano, in quo videmus pubescentes vernantésque rosas, candentia lilia floris aurei odorísque diuini? Atque vtinam eæ vires essent meæ, ea corporis late-


rúmque firmitudo, vt ad omnes oras Galliæ atque prouincias mea ferri posset oratio: summos, medios infimos obsecrarem, obtestarer vniuersos, vt hoc fructu suauissimo literarum perfruentes, Regis tantam tamque incredibilem beneficentiam perpetua memoria & gratiarum actione prosequerentur. Iuuenes admonerem, vt quoniam ad hanc amœnitatem, & rosaria Camœnarum sui Regis ductu & prouidentia vocati essent, hinc serta & coronamenta glorię sumerent, hinc coronas pactiles quarum summa fuit apud antiquos auctoritas, hinc sutiles non iā petendas ex remotissimis Indiis, sed in sinu Galliæ progenitas. Et vt po. Rom. vni Scipioni florum honorem, sic vni HENRICO strophia lemniscata ferrent. Sed quoniam non quæ optamus euenire possunt omnia, neque subito ex animi sentētia, votísque succedere; vos ego duntaxat appello Adolescētes qui ad hoc Britonum Emporium, vbi minimi studia literarum constant, pulcherrima contentione & ardore honestatis maximo aduolauistis, illum diem quo Rex maximus ad fundanda constituen-

dãque domicilia literarum animum appulit, vobis lætum, vniuersę patrię beatissimũ illuxisse abitramini: quidquid est humanitatis, quod natura vobis eruditióque concesserit, illud omne in hoc patrono literarum celebrando, in eius nomine ad aliarum gentiũ cognitionem fama & commendatione transmittendo consumite; pro virili vestra parte contendite ne eius diuinum consilium tanti boni per imperium Gallicanum dum hominum genus erit disseminandi, vanum & irritum fuisse videatur. Apollonius Tyaneus in suburbanos agros Antiochiæ profectus, cùm per campos oleis consitos animo vacuo solutóque spatiaretur, vidit hortulum vbi apum erant examina floréſque permulti, in quem ingressus nescio quid præsagiens diuinitus & præsentiẽs Pandoræ sacrificauit: terrã deinde cùm egeri effodíque curauisset, thesaurum omni opulentia refertum, veteribus gazis illibatísq; redundãs inuenit. Vos in Galliam sic florentem vt in hortũ animo & cogitatione ingredientes, non Pandorę sed datori omnium largitoríque Deo grates agite, & HENRICI liberali

prouidentiā tot Gymnasiis ditissimos vobis thesauros opibus circunfluentes recondi existimatote. Vos autem Societatis Patres, quos ille vestræ pietatis defensor egregius, tā caros habuit, tamque eximiè dilexit, imitamini sanctissimum Ambrosium Valentiniani obitū Imperatoris luctu & commendatione prosequentem. *Non ego, inquit, floribus tumulum eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam: spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus, hoc reliquias eius sacrabo.* Ita facite, preces adhibete, numen propitiate, non vt Gratiæ & Horę apud Apuleium iaculis floris serti & soluti, sed votis & religione, statísq; sacrificiis castè & ritu Christiano perfectis. Tum tu parens sanctissime, cuius nutu atq; arbitrio sola terrarū, sed multò magis hominum sensus consiliáque reguntur, florentissimum hoc regnum tueberis, & Heroem indigetem HENRICVM purpura lętum gloriáq; cælesti, beatarum mentium delitiis abundantem, in amplissimo tecum solio in omnem æternitatem sedere patieris.


DIXI.

ORA-



ORATIO IIII.

DE REGIAE VITAE CVRSV ET EGREGIIS HENRICI MAGNI OCCVPATIONIBVS.



ABIS iterum mihi hanc veniam, pollens HENRICE, tuos vt Manes iam in sede beatorũ quietos, gloriáque circumfluentes, hac strepera & minimè suaui oratione solicitem. Si tu in Græcia illo claro Heroibus æuo, natus fuisses & è corporis ergastulo solutus, tibi vrbes, recordatione tui nominis, & rectè factorũ memoria, ludos sacros instituissent: multíque forent qui in tuis victoriis prædicandis ornandáque gloria, præmia victoriæ communi sapientum iudicio consequerentur. Sed illa magnus è Græcia vir & sublimis apex Theologiæ, verè παίγνια, & leuitatis humanæ ludibria vocat: nos puriores

O

tibi Choas inferemus, & Nazianzenum illum ſanctiſsimum imitati Chriſtianæ facundiæ principem, & Cypriani demortui laudes cohoneſtantem, non oliuam Olympicam, nec poma Delphicas nugas; non pinum, non apium quibus miſeri adoleſcentes olim ornabantur, ſed λόγων ἀπαρχαὶ & quidquid eſt quod dicendo cogitandóq; poſſumus, in medium proferemus. Neque verò nouo quodā exordio fuerit opus, apud vos, humaniſsimi Auditores, vt veſtrā beneuolentiam colligam & attentionē, quos video tota mente atque animo de Regis incredibilib⁹ meritis & honore ſingulari cogitantes. Potius vereor, ne quod gratiæ cauſa facio, quòd fiat tardius, minus gratum expectationi veſtræ ſit futurum. Quāquam me mouent eruditorum hominum iudicia, & vetus Apollonij Tyanei facinus, qui cùm in adoleſcentem incidiſſet ſtudiis humanitatis & eloquentia flagrantē, qui de Ioue ſe cóptam & expolitam orationem elucubrauiſſe diceret, idem tamen à parente ſuo commendando propter vitæ ſingularem dignitatem & morum excellentiam abſtinuiſſe confiteretur,

iuuenis audaciam & impudentiſsimam temeritatem homo grauis & ſeuerus acri & aculeata oratione coërcuit; cùm exclamaret vix ferēdum, imo indigniſſimum videri, vt qui hominem vnum de multis atque mediocrem ſe non ſatis ornare poſſe diffideret, is Iouem dominatorem rerum, &, vt ait Homerus, Patrem diuûmque hominúmque tenui & diſsipata oratione proſequeretur. Quod ſi eum eſſe me venditarem qui rerum ab HENRICO geſtarum magnitudinem, & virtutum omnium admirabilitatem, non modo mente & animo complecti, ſed exquiſito genere orationis amplificare poſſem, non defugerem, quin in me iuſtæ omnium cōtumeliæ & verborum aculei conijcerentur. Sed ſi Regis præſtans & diuina virtus, ſi decora vitæ anteactæ, ſi mirificus in patriam amor, gloria, felicitas ſuut eiuſmodi, vt ſi muti ſint homines, ipſæ pecudes atque ſaxa prædicatura videantur: quis non ſatius exiſtimauerit, vt memorando potius inepti & imperiti, quàm tacendo ingratiſsimi & maximè impii nominemur? Age verò metu omni poſito & honeſtam aud.-

ciam capientes ad rem ipſam aggrediamur. HENRICVM antea vidiſtis terrorem hoſtium, incredibili animi robore ſeptum, clarum trophæis, & vbique triumphis ornatum: hæret opinor & inſidet penitus in animis veſtris eius admirabilis clementia & humanitas, qua Iani portas occluſit, bellis ciuilibus, & ferocientium Gallorum motu & occidione patefactas: eſt adhuc in recenti memoria ſingularis & diuina Regis prudentia in ampliſsimo regno adminiſtrando, in propaganda maiorum fide & religione, in doctrinis in omne imperium Gallicanum feliciſſimè proferendis, quas videmus ſumma bonorum omnium voluptate, fructu maximo, multis in vrbibus efflo-reſcere. Nunc eundem patriæ parentẽ quaſi domũ reuocabo, vt propriã priuatámque felicitatem tot & tãtis támque inſignibus bonis exaggeratã, ceteráque feliciſsimi otij commoda & regiæ vitę ornamenta videamus. Ac mihi quidem hic imprimis occurrit M. Catonis dictum ſapiens, & effatum veriſsimum, quod initio Originum ſuarum poſuit, Clarorum virorum atque magnorũ non

minus otij quàm negotij rationem extare oportere. Semper enim magnus animus & egregiè à natura comparatus, & in cursu ad beatam vitam directo, & in quadam agitatione versatur; nihílque timet vehementius, quàm ne illa inuida mens & incitata, ad res magnas & egregias moliendas perficiendásque attributa, inerti otio & desidioso languescat. Talem fuisse Pub. Scipionem existimo, Romani imperij decus, & præstantissimæ dignitatis exemplar; quem dicere solitum accepimus, nunquam se minus ociosum esse quàm cùm esset ociosus. Nam cùm se tandem è bellorum fluctibus eripuisset, & se Romam tanquam in otij portum plenissimum dignitatis contulisset, tum mentem omnem atque industriam ad Senatorium munus & publicam rem ornandam & constituendam appellebat. Itaque nullum tempus fuit magno Scipioni vacuum magnis rebus, & minimè fructuosum, vnde videmus tantam laudis honorísque segetem, & cōmodorum vbertatem extitisse. Obsecro vos Auditores, reflectite iam ocu-

los à Romanis in Galliam triumphantem & contuemini mecum HENRICVM è diuturnis bellis ex animi sententia confectis gloriosissimè redeuntem, comitemur vsque in Luparam regiam illam sedem Parisiensem tot laureis, tam suaui myrtho, tam læta vberíque olea fulgentem & vndique venerãdam: præstabilem Heroem in auito solio collocemus, cui fata iam beatum otium laborísq; remissionẽ concedunt: seponantur tantisper galeæ, adamantina illa Martis tunica, & damasceni gladij quiescant, sileat etiam lituorum clangor & tubarum cantus, nullæ tesseræ, nulla iam vexilla moueantur, ipse ardor populi infiniti, gratulantiúmque voces deferuescant, cœlestis & æternę Pacis oraculum exaudiatur publicum otium & tranquillitatem imperantis. Vultis igitur in penetrales focos ingrediamur, & in illud tam augustum, palatium ne dicam HENRICI, an Virtutis Semneũ arcémque Maiestatis? Cogitate magno Scipione maiorem quendam & diuiniorem, qui omnem antiquitatis memoriam bene agendo superauerit, tum intelligetis Regi Maxi-

mo in otio fuisse negotium, neque vnquam minus fuisse otiosum, quàm cùm tacitis orbis terræ iudiciis licuit esse otioso & quieto. Non enim quod pluribus olim Regibus & Dynastis contigit, pace parta fortunáque blandiente, sese cōiecit desidiosissimas in latebras, & se penitus in voluptates inertésque delicias ingurgitauit. Nam memini nostrorum Regum qui fundati iámque stabilis Gallicani imperij gloriā, ignauo otio languidóque minuerunt: qui cùm fuissent sceptro & corona, ceterísque regni insignibus ornati, quasi homines exuissent, sic in tenebris mortuorum similes & tanquam Vestali secreto viuebant, aut verius immoriebatur. Cúmque Maij Calēdæ aduenissent, ne planè illo veluti in sepulchro, otiosis voluptatibus computruisse viderentur, semel in anno se populo spectandos ex alto & sublimi loco prębebant, vt vernos vnius diei flosculos aut potius vt imperij maculas & amplissimę dignitatis. Absit verò vt de HENRICO simile quidpiā cogitemus, qui cùm esset grauissimis in bellis & periculosissimis exercitatus, iámque ætas, & triumphi

honorúmque affluentia, iustissimam quietem operúmque remissionem polliceretur, nunquam est passus generosum impetum illúmque ardorem ad omnem animi excellentiam, tenebrarum & parietum custodiis, sordidáque ignauia consenescere. Illum quotidie in oculis suorum videbamus aliquid semper agentem atque molientem regia cura dignum atque industria, quod sibi, quod regiæ familiæ, quod amicis, quod alienis, quod priuatis, quod vniuersæ quoque Reip. fore commodum atque vtile videretur. Persarum magni Reges cùm inter eos moderatæ essent delitiæ, nec veterum Sapientum instituta polluissent, certum habuerunt de cubiculariis hominem, qui sub auroram admoneret πραγμάτων φροντίζειν è strato surgerent, res diligenter administrarent quas illis Deus concredidisset. At noster Heros mẽtem habuit & prouidentiam insitam penitus animóque impressam, quæ nullam vel nocturnæ vel diurnę quietis partẽ vacuã esse patiebatur ea cura & negotiorũ prouisione quæ Deus rerum omnium architectus eius prouidentiæ commisisset:

etiam

etiam in ſomnis & cubili Iouis ille nuntius bellè pictus ab Homero, adeſſe videbatur, qui ad aurem inſuſurraret ὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν, non eſſe fas neque verum, eum ſolidam perpetémque noctē dormire, à quo vno plurimorum populorum ſalus felicitáſquependeret. Itaque non prius Sol Princeps luminũ reliquorum, quem ſplendidam regiæ dignitatis imaginem eſſe volunt, curriculum ingrediebatur ſuum, & hominibus lucem operúmque labores referebat, quàm HENRICVS in ſuo curſu eſſet & præſtanti mentis agitatione, qua res omnes vel longè antè quàm acciderēt, animo præciperet, vel inchoatas pertexeret, vel modos atque vias excogitaret ad imperij ſtatum quàm florentiſsimum efficiendum. Philippus Comminæus cùm res Caroli octaui in Italia geſtas oratione perſequitur, Mōtiſpenſerij quendam fuiſſe ducem ait è Borboniorũ familia, claro genere proſapiáque nobilem, quem Neapoli regij muneris Vicarium moderator ille Galliæ reliquiſſet, hominem quidem in cōflictu atque pugna minimè timidum & fugientem, ſed qui tamen eſſet tam pa-

P

rum in rerum curatione ſolicitus, tam non cautus atque prouidus futurorum, vt vix vnquam è lectulo atque ſomno ante meridiem excitaretur. O flos delibate Borboniorum HENRICE, de te cùm ſcriptores annalium memorabunt, non poterunt nō illam tuam præſtantiſsimi animi vim naturámque extollere, quæ languorē atque ſomnos & delicatorum hominum ceſſationem repudiet, otioſum otium fugiat, & aſsiduo labore corporis, animíque occupatione recreetur. Smyndrydem quendam in Italia Principem (verius pecudem aureo vellere, quippe diuitiis nobilem, ſed plūbeo corde vt ignauum) gloriari ſolitum ferunt, cùm fortunam apud amicos ſuam & beatitatem efferret, ſe viginti totos annos, neque Orientem Solem neque Occidentem vidiſſe, cùm maximam diei partem in lecto & gurguſtio, & Sybaritica in menſa conſumeret. Tu Rex Magne iure tuo gloriari poteris & prædicare, tot annis quibus habenas pulcherrimi regni prouidentiſsimè tenuiſti, nullum tibi illuxiſſe diem, quo Sol Oriens atque Occidens non te viderit magnis rebus,

præſtabili ingenio dignis, ſtudioſiſsimè occupatum, vt altè in animo illud Titi Imperatoris inuſsiſſe videare, qui ſe diem quo nil boni fecerat, aiebat perdidiſſe. Non hęreamus Auditores, in eo ipſo Regiæ veſtibulo in quo vos antè ſtatueram. Ecce tibi omnis generis homines in aulam commeantes, viri Principes atque Primarij, noti, ignoti, Galli, exteri, legati, mercatores, militum Duces, Ciuitatum gubernatores, Curiæ Principes. Hic ab Italia, ille à Luſitania, alius ab extremis Orientis finibus Dynaſtarum mandata exponit. Hic vrbem aliquam à perfidioſiſſimis hominibus tentari nunciat, clandeſtina conſilia agitari, ſerpere audaciam, regiam auctoritatem plurimum in ea re valituram: ille ſua, alius aliena curat negotia, beneficia poſcit, priuilegia decerni poſtulat. Eſt qui fortunæ telis appetitus ab excitato bonorum faſtigio in miſeram vitæ conditionem delapſus, antiqua decora militiæ repræſentet, gratiam colligat, genibus aduolutus miſericordiæ litet. In hac tanta támque incredibili rerum varietate diuinum illud ingenium quid fa-

cit ? Deus immortalis ! non dicerem, nisi res fuisset in oculis, & in viuorum memoria sit perpetuis seculorum ætatibus, & omnium temporum consecutione futura. Primùm quidem benignè omnes audiebat, res difficiles & cõtortas, & in magna obscuritate positas sic tractabat vt manu, ita erat in negotiorum cognitione peritus, quasi præsens vbique fuisset aliquando ; & hominum differentiam, locorum interuallum, prouinciarum amplitudinem cognouisset : ea fuit memoria, vt æquaret Mithridatem, nihil vt effugeret, omnia meminisset : tam acutè támque subtiliter respondebat, ea sermonis vrbanitate, lepore, gratia, vt omnes orbis Academias perlustrasse, argutula Philosophorũ dicta, & oratorũ collegisse, in scholis potius quàm in castris ætatem omnem contriuisse videretur. Hic exteri capti admiratione stupebant videlicet attonitíque hærebant, gaudebant nostri ; omnes eum Principem, Regum decus, imperii exemplar, regiæ prudentiæ tabernaculum, immortali vita dignissimum existimabant. Neque verò, quod in aliis exiguę mentis angu-

ftíque animi eft indicium, in vna re cóficienda multum operæ temporísque ponebat, ſed cùm eſſet eo iudicio atq; ingenio, vt ſubito cauſas rerum & cóſecutiones animaduerteret; prius nodum expediebat, quàm ceteri, qua de re ageretur, plenè videre potuiſſent. Atque in ea quidem cœleſti Regis diuináque natura, cùm multa fuerint omni prædicatione maiora in quibus audiendis, tum noſtri, tum gentium aliarum populi admiratione obſtupefacti exhorreſcebāt; tū illud vulgò iactari audiebatis, & opinor experti meminiſtis Auditores, nullum fuiſse omnis memoriæ Principem, nullum Regē & Imperatorē ad quem tā mollis aditus atque patens omni hominum generi proponeretur, qui tam facili comitate, qui tā comi in audiendo facilitate ſit vſus. Nam Perſarum quidem Reges cùm omni ſe fortuna ſuperiores arbitrarentur, Solíſque ſe Lunæque fratres appellarent, legem tulerant vt qui regiam non vocatus ingrederetur, & vel in ipſum atrium penetraret, ſubito ad mortem atque omnem acerbitatem raperetur, niſi Princeps virgam auream,

porrexiſset. Cúmque ventum eſset in conſpectum, tum reductis in tergum manib⁹ toto corpore ſterni oportebat. quod illi προσκυνεῖν dicebant, & ſolum ipſum mento atque ore ſuauiari. Quid hoc tempore? quiſquam ne tam peregrinus eſt támque hoſpes in Regum moribus & Imperatorum, qui neſciat etiamnum quoſdam eſse qui aliorum hominum faſtidio ſic intimis in palatiis deliteſcant, vt reperti ſint bene multi qui pecuniis infinitis ad terreſtres illos Deos fortunæque filios aditum coëmerint, qui ſæpe tamen ea dominantiũ inſolentia prohibiti, diu ſperata voluptate caruerunt? Alios etiam magnos Reges videre eſt ſuperbia inflatos & humani generis contemptione glorioſos, qui quaſi naturam omnẽ cœli terræque deſpiciant, ſeſe conſpiciendos præbent cinctos facibus ſplendidiſsimo lumine fulgẽtibus, quas formoſi pueri atque circumpedes teneant ſumma animi corporíſque demiſsione. O humanitatem Gallici nominis generíſq; propriam! quàm tu HENRICE admirabili vitæ ratione in cœlum extuliſti. Faceſsant illa Perſarũ fucatæ Ma-

iestatis insignia, remoueantur aureæ virgæ ab hoc regno vbi comitas suauissimique mores domicilium suũ collocarunt, aut ad eam arrogantium hominum superbiam comprimendam coërcendámque seruentur. Illæ faces insolentiæ indices & imperiosi fastidii Lethæis vndis extinguantur. Non est opus illo amplitudinis emendicato apparatu nostro Regi, qui totus aureus est atque virga, pretio virtutis & imperio Maiestatis; totus lumen est & quasi Pythagoræorum manu factus qui Regem esse volebât διαυγέστατον τὴν φύσιν pulcherrimis naturæ donis collucentem; contemnit meritò fumos & funalia, cuius splendor virtutis & sapientię iam prouincias tanto interuallo disiunctas incredibili celeritate peruolauit. Itaque vidimus fores regias nullis siparijs atque velis inumbratas, nullis Admissionalibus interclusas, nullas cohortes amicorum descriptas, & quod de bono Imperatore Vespasiano dixit Plinius æqualiter Principem publicatum. Ad eum proinde libero introitu, omnium ordinũ homines accedebant, ille omnibus ius & æquitatem disper-

tiebatur: si quæ forent nouis legibus vincienda, sanciebat; si lites & discordiæ nobilium significarentur, dirimebat, & ne acciderent aliquando salutaribus edictis prouidebat: placidè omnes & nota frontis animíque hilaritate audiebat. Quis verò tristis ab eo mœrènsque recessit? cuius exulcerati animi vulnus atque morbum non ea vultus & oris comitate sanauit? quisquámne reperietur tam missilium auidus appeténsque donatiui, qui regia beneficia minus lauta & benigna fuisse queratur? Imò verò quis sua benefacta nō largis cumulatísque præmiis & multa bona gratia cópensata existimauit? Hīc meritis & hominum Sapientum opinione cognitus, & tanti Regis iudicio veluti censorio probatus, amplissima sacerdotia auferebat: alter arcis oppidíque custodiam, varij varios honorum gradus magistratúsque capiebant, quibus illi non tam se ornari gaudebant, quàm sui Regis incredibilem Sapientiam & prolixam beneuolētiam venerabantur, qui à prima pueritia Xenophonteium illud altè animo imbibisse videretur, Regi esse multo hone-

stius

ſtius τὴν χαρίτων ἀπολιπεῖν, ἢ τροπαίων πλῆθος, beneficiorum quàm tropæorum multitudinem copiámque relinquere. Sed qui ſemper in palatij luce verſabantur, qui habitabant in oculis Principis, clariſsimo genere orti, & omnes eius actiones diligentiſsimè ſpeculabantur, non poterant non illam Magni HENRICI in negotiis conficiendis exhauriendiſque cōſtantiam & moleſtam aſsiduitatem mirari. Quidam etiam Barbatuli iuuenes, delicatuli purpurati, qui ſemper in roſa deliciiſque fuiſſent, cùm ſe ad aulam applicuiſſent, eam Spartanam duritiem animíque cōtentionem taciti ſecum verecundantéſque reprehendebant: nam quemadmodum Seuerus olim Imperator, militari Tribuno petenti nō aliam teſſeram dabat quàm *laboremus*; ſic HENRICVS ſuo exemplo illo illuſtri & in alto poſito, tot negotiis laborioſiſsimis confectus cohortem illam Palatinam ad labores magno animo dignos, magno animo excipiendos allicere videbatur. Sed cùm eſſent quietis amātiores quàm ſudoris, cupediarum quàm vigiliarum, ludi quàm laudis tam moleſta induſtria

parandæ, eum Adamantium, eum Chalcenterum, eum Herculem indigitabãt, ærumnis haustum, mundi baiulum, inuictum & indefessum. O Marce Cato, Censorium appello, in toga Philosophum, ante literas eruditum, prudentiæ Romanæ decus & exemplar, tu dicere solebas trium te rerum in omni vita si fortè contingerent, pœnitere consueuisse, quorum id fuit haud postremum, si diem tibi integrum labi de manibus sine fructu & vtilitate siuisses. Tuam illam felicitatem quam votis & animi cõtentione cupiebas, nostræ Galliæ moderator felicissimè consecutus est, qui nullum diem vidit in hoc otio Gallicano, in quo se multa non vidisse, audiuisse, respondisse, tractasse, confecisse, elaborauisse denique summa industria, patientia, assiduitate, meminisset. Sed sit modus aliquis labori, corpus aliquando reficiatur, animus à perpetua illa negotiorũ contentione reuocetur, sternantur mensæ, epulæ regiæ proponãtur, Rex accumbat, nihil in eo magnificentiæ genere prætermittatur. Aduocentur Sanuiones & capreæ, & è scurrarum natione homines ridiculi & dictiosi, à qui-

bus diuitum mensæ conuiuiáque celebrantur, inducantur subito in conspectum albi illi asini & Palatini moriones, qui morantur in aula & in olla, risum excitent, ludos exhibeant atque iocos, salsis dicteriis tuceta condiant, oxymora propinent. Quis enim nó existimet hoc meritissimò tribuēdum esse magno Regi, vt matutina illa negotiorum támque assidua tractatione vexatus, curis oppressus, laboribúsque fractus, eo genere modicè delectaretur? Nam videmus magnos quondam viros atque Sapiētes sine cuiusquam reprehensione, nanos sibi atque distortos, aut festiuos ex Attica pueros, ad hilaritatem, atque facetias, studiosissimè quæsiuisse. Commodus habuit ex eo grege multos in illo gentium omnium theatro, ad ludibriū natos atque fictos, quos augustæ historiȩ scriptor μωρίας appellat. Sigismundus Imperator Burram quēdam habuit nobilem scurram & dicacem, quem ad mensam, & frequenti conuiuio, sic argento onerauit, vt opprimeret. Nostri deniq; in Gallia Reges & Dynastæ, bona dicta fatuorum, à seriis animum auocantes, sæpe sua & aliorum voluptate

probarunt. Imò verò, inquit HENRICVS, iſtæ otioſorum Regum leuiculæ delitiæ repudientur, prodeat ille rerum maximarum egregiè peritus atque ſapiens, & polito genere orationis non modo meas, ſed meorum etiam Principum aures teneat, è reconditis abſtruſiſque artibus & doctrinis aliquid in lucem eruat & explicet, & dum nos palato indulgemus, cæli palatium meciatur, ſtellarum curſus & progreſsiones inſtitionéſque notet, quę vis ſit Solis atque Lunæ, quæque efficientia in has terras, & quæ terræ viſceribus occuluntur, aperiat: de gentium varietate, de multiplici ratione gubernandi, de veterum Heroum maximis virtutibus atque vitiis, de officio Regum optimorum diſputet. Aut ille mihi adſit Eccleſiaſtes admirabili modeſtia & ſuauitate, cuius ex ore melle dulcior fluit oratio, qui dum corpus hoc communi paſtu reficitur, dulci Nectare atque Ambroſia, animum etiam paſcat meum atque reficiat. Quid verò ille Senator peregrinus, quid alia in parte nobilis iſte, qui iampridem geſtu atque ore imminens tanquam è ſpecula ſermonis mei anſam

captat? alter opinor vrbis suæ ornamẽta desiderat, tristior alter fert querelas: sanè accedant, & me non modo in audiendo patientem, sed in solãdo iuuandóque promptum & benignum experiantur. O admirabilem, virum dicam, an humanis moribus augustiorem HENRICVM! qui ne quidem in communi otio sine negotio esse posit! qui benefactis & perenni in suos caritate pascatur! Quid hic memorem Auditores, Regis optimi notam illam atque perpetuam, inter epulas humanitatem? quæ dicebat ipse, quæ audiebat? quæ doctis hominibus ponebat in percontando? quàm argutæ quàm subtiles eius interrogationes? in ea doctissimi sermonis varietate plena humanissimæ voluptatis, quisquamne aulam se videre putauit Regis militari laude clarissimi, & non potius auditorium philosophi Sapientiæ nomine gloriosi? Iulianus Imperator cùm se amantem eruditionis & hominum Sapientum dici cuperet, cum Asiaticis philosophis sæpè in animo regiam φιλοτιμίαν exercebat, HENRICVS cum Galliæ luminibus philologiã epularem pænè quo-

tidie : Sissitiis Cretensium mulier præsidebat; HENRICEIS epulis, Sapiētia. In quas dapes saliares & adijciales se Rex Maximus putabat incidisse, quæ bellaria, quæ scitamenta noua & exquisita reperisse, si quod fortè regiū apophthegma, si acroamata nobilium, si stratagemata Ducum & Imperatorum, si veterum annalium monumenta, si gentium variarum tropæa, si castra barbarorum, si miracula mentium, si ingeniorum inuenta, si religionis mysteria, si naturæ arcana, si vrbes, leges, politias, si denique alia digna liberali cognitione audiuisset? Franciscus eo nomine primus qui Galliam innumeris triumphis atque victoriis nobilitauit, cùm aliquādo à poëta non præstantissimo, alternis versibus longiusculis matutinum epigrāma cepisset, in cœtu postea magnáque frequentia nobilium asseuerauit, se nunquam alias tota vita, quàm eo die ientasse suauius, quippe mirabiliter eo literati hominis epigrammate recreatum. HENRICVM verò, qui toties in epulis, non leuioris Poëtæ cantum, sed hominum elegantiū abundanti quadam doctrina politorum disputationes

audiret, quibus lætitiis perfundi cõsueuisse, ea natura, ea tãta humanitate credemus? Atque hic quidem mihi venit in mentem cogitare Auditores, nullam esse humanæ vitæ perfectionem quæ nõ in Rege gradu quodam excellenti fuisse videatur. Epulas loquor atque mẽsam, & in cibo atque potione regiam temperantiam, mihi pono ante oculos; qua virtute sic HENRICVS excelluit, vt eam purpurati illi nostri quibus terræ mariáque omnia seruiunt, mirari facilius posśint quàm æmulari. Quis enim, vt Pacati verbis vtar frugalitatẽ Theodosij commendantis, quis in Gallia vidit luxuria versam anni rationem, hibernas poculis rosas innatasse, æstiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregisse, infami delectu scriptos in prouinciis aucupes, ductásque sub signis venatorum cohortes militasse conuiuiis? quis vnquam fando audiuit in augusta Luparæ sede porcos Troianos fuisse appositos, solidos apros, liquatos vniones, aut quod Vitellio cõtigit, duo millia piscium, septem auium millia vna cœna? Vetera commemoro: at etiamnum amplisśimi duces ad Septentrio-

nem, & Dynaſtæ bene lauti, argenteos puteos exhauriunt, & tum ſe pulchros & beatos putant, cùm in poculis mentum atque mentem immerſerint: quod noſter Heros non modo non regium, ſed ne egregium quidem & communi hominum conditione dignum exiſtimauit. AEgyptii quondam cùm apparatũ conuiuiorum eſſe vellent omni ratione perfectum & iucundiſsimum, hominis demortui effigiem per menſam circunduci iubebant. Vtinam vos Duces, Reges, Imperatores, Regis noſtri ſpeciẽ illam eminentem & expreſſam honeſtatis in conuiuiis adhiberetis: nõ enim dubium quin ad magnificam apparationem, & ad omnem elegantiam & copiam, in qua multi cupiunt excellere, aurea moderatio in hac vitæ functione tẽperantiáque adiungeretur. Hinc nimirum exiſterent virtutes multæ ac magnæ, quæ requiruntur iis in hominibus quibus in ceteros poteſtatem & omniũ rerum dominatum prouidentia diuina cõceſsit. Nam opinor ſapienter aiebat Pythagoras, primum eſſe gradum vitæ laudabilis & perfectæ, κρατεῖν γαστρὸς, abdominis eſſe dominum & appetitionis.

nis. Nec minus verè quàm eleganter dixit Poëta valde bonus Menāder, Penus virtutis esse temperantiam; Socrates autem τὴν κρηπῖδα, fundamentum. In Heroe igitur nostro cū istud ipsum fundamentum videamus tam præclarè iactum, & mirabili continuatione firmatum, dubitemus reliquam exædificationem pari gloria excellentiáque fuisse? Agapetus diuinè Sapiens & incredibili facundia, Iustinianum Imperatorem, qui nutu & ditione imperium orbis terræ moderabatur, verissimum fuisse Regem pronunciat, quod esset purpura iustitiæ indutus, & corona temperantiæ redimitus. Salue Heros ter maxime HENRICE, nō tam Galliæ Rex quàm virtutis, in te illa clarissimi dominatus insignia collucent, tibi gemmeam temperantię coronam nō populus hic tuus, qui pro tuis immortalibus meritis tibi singulares & propè diuinos honores detulit, non dignitas generis, non familiæ vetustas, nō stirps generosa Borboniorum; sed innatæ Sapientiæ vis & excellentis animi fortitudo imposuit: tuum proinde illum Principatum, quod addebat Agapetus, fore æternum & im-

mortalem censemus. Sed cur diutius in hac aula & priuatos inter parietes hæremus Auditores? nam tametsi epulæ proponantur lautæ & elegantes quæ omnibus sapient qui non desipient, vereor tamen ne hac lance tam ieiunæ orationis horridæque propositæ, fastidiū vobis adferant, & satietatem. Exeamus igitur tantisper, mensámque, Ioui seruatori veteri more libantes, relinquamus: nam & HENRICVS gestit exire, quem profecto, dum mecum esse voletis, comitabor. Rex Amasis qui in AEgypto summam rerum obtinuit, cuius de vita & moribus annalium monumenta testantur, vsque ad prandium negotia strenuè expediebat, summa Principum & totius populi approbatione, sed postea repentè & euestigio vt Circeo poculo in alium mutatus, potabat, iocabatur, & cum grege helluonum in solutam licentiam effusus, media vrbe nimio opere volitabat. Alexander Romanorum Imperator fessum animum grauiorum rerum tractatione, palęstra, aut ludo pilæ, aut cursu, aut luctaminibus molliorib⁹, vt est à multis posterorum memorię traditum, recreabat. O-

ctauius Augustus, is qui sui nominis reuerentiam & terrorem ad Parthos vsque Barbarásque nationes diffudit, labores diei parte susceptos ita minuebar, vt talis, vt ocellatis, vt nucibus etiam cum minutis pueris luderet, quos è Syria & Mauritania studiosè quærebat. Reges illi fuerunt & Imperatores omnium opinione magni & gloriosi, sed absit tamen, ô Galliæ lumen & pollēs Rector, vt tuas honestissimas exercitationes, cum illo vitiosæ naturæ impetu, & puerilibus nugis, cōponendas putem. Nam ille fortis & exaggeratus animus tuus, bellicis studiis & in cursu gloriæ eruditus, nullam quæsiit assidui laboris & operosi leuationem, quæ non esset cum honestissimo fructu & cum dignitate coniuncta. Quid igitur fecit HENRICVS Auditores? aut in quo tandem se vis illa mentis & corporis exercuit? quid aliud, quàm quod olim clari semper Reges Principésque fecerunt? Dicam breui: cùm se ab aula, hoc est à pistrino illo regio, quotidianísque muneribus, subducere potuisset, equitabat, decurrebat, venabatur. Sic videmus Carolum Magnum qui totius orbis

terræ pōdus suis humeris sustinebat, cū robur animi corporísque illud immensum atque firmissimum continuare vellet, dies sæpe totos equitando venandòque insumpsisse, quod industriæ genus & liberalissimæ occupationis, historiæ fidus scriptor, Gentilitium, & Francorum gentis proprium esse dixit: vel, vt ait Eginhartus, nobilium Gallorum morem, quibus in eo studio nulla alia gens cōparari meritò posse videatur. Nec sanè video cur Gaguinus vanam illam consuetudinem appellarit: nam de rege Clotario loquens, mox inquit, vt est Gallię nobilitatis vana consuetudo, ad feras venatu deprehendendas se conuertit. Itáne vanum illud fuerit, ex quo videmus non modo in priuatos homines, verum etiam in cōmunem rem vniuersam tot commoda, tot & tantas támque incredibiles vtilitates manare? quod plurimæ nationes quę roboris, quę virtutis, quę bellicę laudis & glorię rationem vnquam habuerunt, studiosissimè vsurparunt? Nam Gręci, Romani, Persę, id semper esse quàm verissimum, quod est proditum à Xenophonte, crediderunt: venationem belli-

carum esse rerum ἀληθεστάτων μελέτων expressam quandam imaginem atque meditationem. Et Poëtę qui antiquissimos Heroas ad speciem excellentissimi animi atque fortitudinis Sapienter expresserunt, eosdem propter hoc studium, canibus semper comitatos fuisse docent, venandíque prima initia ad Apollinem & Dianam priscę religionis augustissima numina retulisse. Quare boni Principes & prębtabili dignitate viri, vt docet Dion, venationē exercent vt rem longè optimam & cum primis salutarem, vnde corpus robustius, anima fortior vegetiórque efficitur, in qua omnia quę in bellis euenire consueuerūt, exercentur. Quod Scriptoris grauissimi documentum pręstantissimus Gallię Rector HENRICVS non tam è libris Sapientum, aut veterum historiarum monumentis, aut maiorum suorū consuetudine, quàm ex indole generosę mentis, propriáque natura hausit, quę cùm esset nata rebus maximis, & ad omnem dignitatis amplitudinem, & perfectionem glorię stimulos noctes atque dies & virtutis aculeos sentiret, eas in otio exercitationes capiebat, quę ar-

dorem Imperatorij animi, non tam restinguerent, quàm alerent & corroborarent. Itaque, vt dixi, regiis munerib⁹ & labore solutus, venationibus dabat operam, quo in opere facilè Principum adolescentium alacritatem, & omnium Dynastarũ suorum industriam, id ętatis grauitatísque superauit. Omniũ proinde in eum oculi conijciebantur: hic in eo non modo totius negotij venatici cognitionem, quę in vsu maximè posita est, suspiciebat, verum etiam variarum locutionum, quibus vti venatores solent, ad mirabilem scientiam: non nemo eius mirabatur in equo flectendo ingeniosam laboriosámque solertiam: multi nobiles mollioris animi, & vt planè dicam effœminati, cùm eum prompto ore atque vultu incredibili celeritate, per campos & nemora volitãtem, euntem, redeuntem, fossas transilientem, vbique emicantem, ceruos & apros omnibus vestigiis persequentem, cursu assequi & omni cõtentione non possent, illum aut humana in effigie sine arcu & sagittis Apollinem, aut Achillem à Chirone doctum, aut cœlestem Orionem, aut è diuis aliquẽ existimabant. Adria-

nus Imperator, qui vnus maximè de Romanis venandi studio flagrauit, gloriari solitus est, quod sua manu aprum vnum aliquando interemisset: si ex eo laudis materiam captare vellem, quot HENRICI quámque insignes numerandę palmę forent? vllâne silua est in omnibus prouinciis quàm longe atque late patet Gallia, quò ipse adire potuerit, vbi non suę industriæ, roboris, alacritatis, patientiæ inuictę, atque prędstantiæ non leuia & adumbrata, sed expressà & clarissima vestigia reliquerit? Sed hæc fortassè minuta quispiã existimet: ego vero, ô tuæ Galliæ præsidium & Europę splendor! non verebor ne hic à me tua laus & amplissima gloria imminuta fuisse videatur, si te in eo genere præstitisse dicam, in quo Mithridates, qui tot annos de imperio orbis terræ cum Romanis dimicauit; in quo magnus Alexander, qui ad vltimas Orientis partes arma victricia protulit; in quo Dagobertus ceteríque Reges maiores tui summi viri primas tenere voluerũt, quos tu tamen tantum industria & inuicti animi constantia & robore anteiuisti, quantum illi populorum omnium Re-

ges Imperatoréſque vicerunt. Adrianus quem modo nominabam, Imperator, ſtudium hoc venandi ſuum, excitata in Myſia vrbe, quam Venationes Adriani indigitari voluit, poſterorum memoriæ propagauit: tu felicior pulcherrima tua ſtudia regiáſque exercitationes, in oculis totius imperij, in nobilium tuorum animis, in ara ipſius æternitatis, perenni monumento conſecrauiſti. Enimuero quò progredior longius in hoc curſu, vaſtiſsimi campi & ſiluæ immēſę obijciuntur, in quibus excurrere liberius mea poſsit oratio: Sed non committam vt ita vager & aberrem in re infinita, vt relegere veſtigia non poſsim. Veſtra igitur bona cum gratia redeo in vrbē Auditores, in qua etiam vobis lubentibus cū meo Rege cōquieſcam. Hic verò mihi in oculis quāta quāta es, fortunatiſsima Lutetia, gloriæ domicilium & dignitatis, admirabili decore verſaris ad quam ornandam Rex maximus partem curæ prouidentiæque ſuæ traduxit. In te multa noſtri quidem maiores habuerunt, quæ fama & communi prędicatione in cœlum attollerent, hominum affluentiā vndíque in ſinum gremiùmque tuum

que tuum aduolantium, vias latas atque directas, opes, delubra, curiam-palatia, & quæcunque vrbes & oppida ornare solent: sed illa omnia nouis HENRICI, multis & magnis, magnificísque operibus, vt Solis splendore lucerna, penitus obruuntur & inobscurantur. Cæsar Augustus gloriatus est aliquando, quod Romam, quam lateritiam cepisset, linqueret marmoreā: te verò tuus ille parens, cùm belli situ & squalore deformem luteámque cepisset, nunc marmoream, aut si quid etiam magnificentius dici queat, verè auream gemmeámque reliquit. Hic Auditores, quo genere orationis vtar, vt ea, quæ ad omnem seculorum omnium memoriam sunt Lutetiæ ab HENRICO perfecta, magnitudine præstantia, fructu maxima, genere ipso singularia commemorem? nam occurrunt pontes ardui atque lati, quadrato lapide mirabili opere confecti, nouarum artium & peregrinarum elegantissima domicilia, cētenariæ porticus, ambulationes, horti, fontes, palatia raro quodam & inusitato artificio elaborata; in quibus nō modo meam, quę

nulla est, facundiam, & omnium eruditorum eloquentiam, verum & seipsum vicit HENRICVS. Nunc à me quidē alia omnia silentio prætereantur, in illa tantū regali porticu & peramœno Luparæ peristylio hæreamus. Quanquam quid ego hęc apud vos Auditores, quorum plerique fortè illud opus suis numeris absolutum viderunt, cùm rem ego quatuor ab hinc annos iam affectam & maximis ornamentis vacuam aspexerim? sed quemadmodū, si poëtæ suauissimo credimus, Menelaus clarissimus Princeps δώματα ἠχήεντα resonantem domum habuit, sic illa Regis exædificatio, tam sonora est & vocalis, vt tantæ magnificentiæ splendorísque fama, non modo in hanc Armoricam nostram, verum etiam in vltimas terras, lætissima celebritate feratur. Quid igitur prius miremur? an amplitudinem & longitudinem operis illam visendam, quæ tanta est, quantam nulla vnquam ætas vidit in Gallia? an formā & structuram æquabili descriptione continuatam? an externam speciem insatiabili pulchritudine omnium oculos animósque tenentem, fenestris in-

numeris perforatam, incredibili columnarum varietate distinctam? interiora verò tam eximia sunt, támque sumptuosa magnificētia extructa, vt inter orbis celebrata miracula facilè poni numeraríque posse videatur. Nihil potest in artificiosissima ædificatione requiri, quod non ibi summa sit omnium partium absolutione & elegantia perfectum; columnæ omnis generis marmoreæ grandi & directo scapo, tum leui & polito, tum striato, stylobatæ Ionicæ, coronis, fasciis, floribúsque insignes, epistylia eius generis, zophori intercolumnia, iucūda, & exquisita varietate composita. Ex illa tā longè patente ambulatione & interminata, in qua nullam oram vltimi acies intueri potest, egredientē excipiunt aulæ nobiles & maximæ, plenę dignitatis, pulcherrimo instructu & ornatu, quarum aliquæ tholo camerato & splendido, auro & picturis mirificè collucente, cęli decus & diuorum altissima domicilia sedésque imitantur. Quæ verò præterea ornamenta in animo habebat Rex maximus, quis non dicam memo-

rare,ſed vel ipſa cogitatione complecti queat? quæ partim iam parata videbamus, partim etiam quæ futura eſſent, coniectura aſſequebamur: nam innumerabilem vim & copiam periſtromatum fieri curauerat, filis aureis atque bombycinis,ſingulari artificio,conquiſitis vndique hominibus eius artis cognitione perfectiſsimis, ad latera longiſsimæ porticus inumbranda: in quibus Romanorum egregia facta, bella, triumphi, & Heroum veterum imagines, plenæ dignitatis tacitæque virtutis exprimebantur. O dignas præſtantiſsimo Rege cogitationes! Nam occurrit Italię Regis effatum à Caſsiodoro proditum memoriæ ſempiternę: verè, inquit, digniſsimum eſt Regem ędificiis palatia decorare. O commemorabilem magnificentiam! ò diuinum opus & prædicandum & cum ipſa æternitate æquandum! Non ſanè mirum ſi ad illud viſendum è longinquis orbis terræ prouinciis homines multi aduenerint,qui cùm in tanta operis admirabilitate obſtupeſcerent, vnum tamen ipſum HENRICVM omni miraculo

maiorem, omni hominum generi suspiciendum & amandum existimabāt, qui virtute animíque excellentia, non minus lucis & splendoris, operi vniuerso adiungebat, quam Sphengites lapis in auream domum Neronis fundebat. Alij vulgo Reges & Dynastę bene multi, quod Diogenes reprehēdebat, gloriam aucupari ex loco solent, sed quod proprium pręstantissimorum est virorum, vt idem Sapiens aiebat, τόπῳ δόξαν περιθεῖναι, loca ipsa eleganti artificio nobilitatis, excellentis animi donis & insignibus illustrare, hoc diuinitus cósecutus est HENRICVS. Hunc Heroem, vrbium non modo ciuili bello vindicem & defensorem, sed in otio ædificatorem exornatorémque suarum, quibus studiis Auditores, quáve beneuolentia prosequamur? Theodoricus Italię Rex & Gotthorum à Procopio veris laudibus celebratur, quod Romanis ad ędificia instituenda, calcem liberaliter & sine pretio sit largitus: nos HENRICVM regia opera sumptuosè atque magnificè conficientem, non æternis omnium gentium præconiis co-

honeſtandum putemus? Galienus Imperator, ſi qua fides Auguſtę hiſtorię, veris tempore cubicula de roſis, & de pomis caſtella pueriliter faciebat, & hoc literis memorięque mandatur, poſteritati propagatur: nos admirabiles ſubſtructiones nouitate primas, fructuoſas patrię, dignitati regię glorioſas, ingrata mentis obliuione prętereamus? Pudet me ſanè huius languidę & incultę orationis meę in hoc ſplendore pręſtabilium rerũ memorando, de quibus id meritiſsimo dici poſſet, quod Procopius ſuauis politúſque Rhetor de ædificiis Iuſtinianeis protulit, fieri nõ poſſe vt vllo ſermone ſatis pro dignitate laudentur. Nam cùm ea Regis magnificentia & excelſi animi liberalíſque amplitudo tanta ſit, quantam hactenus quaſi per nebulam ſpectare potuiſtis, tũ ex illo pulcherrimo ſtudio video Principibus viris & honeſtiſsimis ciuibus ardorem quendam fuiſſe iniectum, ſtimulóſque additos, nihil vt mallent quã Lutetiam Pariſiorum illam vrbium Reginam eſſe quàm ornatiſsimam. Et quidem plus ornamentorum atque dignitatis vno anno accepit, quàm vno ſe-


culo ſub alijs Regibus, aut pęnè dicam omnibus ætatibus ad hunc vſque diem accepiſſet. Quemadmodum enim euerſa Carthagine & terrore belli ſublato, laquearia primùm inaurata ſunt in Capitolio L. Mummij Cenſura; inde is ornatus tranſiit in cameras & priuatorum ciuium ędes: ſic pace parta & bellorum ciuilium flammis ſtudio HENRICI clementiáque extinctis, magnificentia, regia primùm in domo, quaſi Capitolio conſecrata, in priuatas ciuiũ habitationes domiciliáque migrauit. Itaq; bono illo tuo fruere, Lutetia, quę iure tuo gloriari iam potes te non minus cultam & ornatam, quàm Alexandriam pulcherrimam ciuitatẽ, vbi Reges cùm ad vrbis dominationem veniſſent, ad Regias veteres, dona Regum, nouam aliquã & ſumptuoſam ædificationem adiungere conſueuerunt. Alexander Magnus regni ſui theatrum Athenas appellabat; te HENRICVS, ſui: Romam lucem orbis terrarum & omnium gentium arcem olim Sapiẽtes οὐρανόπολιν vocarunt, tę cœleſtem poſteritas omnis & tanto rege glorioſam fortunatámque nominabit. Sed dum

porticus & aurata palatia defixus admiratione perlustro, ecce mihi sese aperit derepentè Augustæum supra stelliferos orbes, & celsissima dignitatis sedes auro pyropísque distincta, quam HENICVS in domiciliis beatorũ rectè factis & egregiis animi virtutibus est adeptus, quæ nescio plúsne voluptatis ipsa recordatione nobis attulerit, an mœroris. Nam illam quidem beatitatẽ, vbi est læta & perennis circumfluentiũ bonorum possessio, Heroi optimo, pio parenti, inclyto, bonorum vindici, assertori religio nis, omni ratione maximo, gratulari omnes debemus & honore lætari. Sed cur tam citò, mũdi parens & gubernator Deus, hoc Galliæ bonum eripuisti? cur nos horribili turbine afflictos: importuno casu debilitatos, metu & mœrœre confectos, his tantis animi Regij ornamentis spoliatos esse voluisti? Omnes ordines in situ & squalore versantur, Curiæ notam illam boni Principis æquitatem desiderant, vrbes Eunomiam cum suo Rege abiisse dolent, templa sanctissimarum ceremoniarum defensorem & custodẽ requirũt, populus nudus & imparatus,
patriæ

patriæ patrem, multis & aſsiduis & quotidianis lacrymis proſequitur. IESV verò Societas quam Regius fauor atque beneuolentia, quam inuſitata gratia & clementis animi ſuauitudo pietáſque ſuſtentabat, ecquando erit tempus cum in hoc acerbo communíque dolore, quo premitur, leuationem aliquam ſentire poſsit? iactata ciuiliũ temporum turbulentiſsimis fluctibus & procellis, concionum maledictis appetita, irriſa in circulis, arroſa in cõuiuiis, hominum impudentium fictis mendaciis onerata, à fæce impietatis incredibili furore exagitata, non ſine magno animi cruciatu ſuum Patronum expetit. Tibi ſanè Rex optime maxime, huius ordinis homines atque familiæ, innocentia freti, ſepti bonorum virorum præſidiis, tuentis omnia Dei & gubernantis ſingulari prouidentia circumuallati, quantum religioſi pectoris anguſtiæ capere potuerunt, cumulatiſſimè iuſta perſoluerunt. De tuis immortalibus meritis & beneficiis, dum anima ſpirabunt ſua cogitabunt, tuum caſum, ſuum caſum eſſe ducent, & non magis viduam Galliam, quàm ſe orbos

legitimi tutoris custodia existimabuntur: tuam perennem & beneuolentissimam caritatem nulla vnquam delebit obliuio. Tui fati luctuosa recordatione, corda in vota atque suspiria, ora in preces, oculi in fletus lacrymásque soluentur. Sed sit tandem modus aliquis odiosæ & iampridem fluctuanti orationi meæ, & illa iusti mœroris indicia, quæ in publicum gestiunt erumpere, coërceantur, solitudiníque seruentur: sanctissimi Ambrosij verbis, Theodosij fatum immaturum obitúmque lugētis, concludam, *Conteror corde quia ereptus est vir qualem vix possumus inuenire, sed tamen tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus, vt eum in filiis repræsentes.*





LVTETIA QVÆ MEDIO SVO SINV BONVM PARENTEM confici vidit, ingentibus bonis orbata mœret.

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.

HEV! SINV BONIS ORBOR.

Proſopopœia Lutetiæ.



TE mihi lacrymæ, pleniſque madentia guttis
Pectora, & ambroſios tingite rore ſinus.
Pone modò auratos Regina Lutetia cultus,
Nec tegat umbroſum ſacra tiara caput.

Pro crinali auro, ripæque monilibus Indæ,
Cingat inornatam tænia nigra comam.
Absit Erythræis Nereia bacca figuris,
Textáque Bistonias vincere docta niues.
continuo nigra palla pedes descadat ad imos,
conuenit infandis luctibus ille color.
Nam quid agam misera, augusto viduata parente,
Vnde mihi dextro Numine creuit honos?
Queis orbor nudata bonis? cadit inclytus eheu!
Quo duce marmoreas sustuli in astra domos.
Ipse peregrinas reuocauit prouidus artes,
Atque Parisiacum iussit inire forum.
Mille meis statuit vexilla volantia templis
Captaque prostratis hostibus arma manu,
Quàm me magnanimi fouit præsentia Regis
Cum petit auratæ mœnia clara domus.
Ipse mihi columen, rerum tutela mearum,
Militiæque decus, præsidiúmque togæ,
Heu orbor tot mœsta bonis, viduórq; parẽte,
Vnde mihi dextro numine creuit honos.
Occidis HENRICE, *atque immania spicula Parcæ*


Ante diem, fato non tribuente, capis.
Quódque magis laceràtque animum, cumulàtque dolore,
Occidis in medio, lux mea, vita, sinu.
In gremio cadis ecce meo, mediisq; triũphis,
Eheu funestæ sors inopina manus!
Si dum belligeri per sæua pericula Martis
Irruis, hausisset cuspis honora latus,
Gloria pensaret damnum, constantia luctum
Demeret, at gremio nunc cadis ecce meo.
Salue Heros luménque meum, spes magna tuorum,
I pete sydereos, lux mea, vita, sinus.

GALLIÆ PÆNE CVM PARENTE MORIENTIS & rediuiuæ Icon.

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.

EN HONOR VRBIS VBIES.



MOESTA Parisiacas penetrarat Gallia turres,
Ardua magnanimi dum Patris ora petit.


Audiit extinctũ: infando tũ victa dolore,
En honor Vrbis vbi es? *dixit, & obticuit.*
Ecce tibi Michaël sublimibus aduolat oris,
Semianimisque manu languida membra quatit.
Tolle, ait, huc oculos. Solio super astra micanti
Cernit, & aurata sede sedere Patrem.
Gloria purpureo regnantẽ obnubit amictu,
Cingit & augustum terna corona caput.
Tũ verò exultans Regísq; hilarata triũpho,
En honor Vrbis vbi es! *dixit, & obticuit.*

EVROPÆ SVSPIRIVM.

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.

VER ORBIS NVNC OBIS.



Minet in rapidis ver tempestatibus anni,
HENRICVS inter Principes.

Iam deſæuit hyems, nam Rex bonus occi-
dit, orbis
Ver orbis, *eheu!* nunc obis.


SOCIETATIS IESV

LESSVS.

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.

SIC NE HEV! ROBVR OBIS?




Obur eras columénque tuì Rex
optime regni,
Robur eras magnis, robur & exiguis.
Robur eras bello, felicibus inclytus armis,
Pacificis miti pectore robur eras.
Robur eras voſtrũ: per te Rex optime IESV
Nomen ad antiquos fas fuit ire lares.
Robur eras, per te hæreticæ fraus impia lin-
guæ
Conticuit non auſa hiſcere, robur eras.
Si rurſum inſurgit ſcelerata audacia morſu,
Non mirũ eſt Heros optime, robur obis.

HENRICI MANES IAM BEATI, OMNES SOLANTVR.

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.

VOBIS NVMEN SCRIBOR.




Arce piis lacrymis Coniux, Nati-que, Ducésque,
Galliáque, & regno gens adamata meo.
Iã melior me vita fouet, Diuúmq; voluptas;
Si vobis numẽ scribor, *an inuidia est*

ALIVD.

HENRICVS BORBONIVS OBIIT.

BINIS CORONIS IVS TVEBOR.



Elle metum Nauarra potens, mea Gallia pelle
Metum, & coronã ne tibi instabilẽ puta.
Victor ego felixque dies super æthera carpo;
Binis coronis ius tuebor è *Polo.*


NEPEN-



NEPENTHES GALLIÆ ET COMMVNIS LVCTVS CONSOLATIO.

SIVE

DE LVDOVICO XIII. HENRICI Magni successore.



N Thule quondam Insula, quam vltimam bonus Poëta nominauit, Auditores, cum vis Hyemis incubuisset, ita lux omnis & clarissimi cœli cōspectus, atque Solis iucūda species ab omnium se oculis eripiebat, vt quadraginta dierum spatio tenebrę immensæ regionem opacarent. Quo tempore cum esset vbique solitudo, & ea noctis diuturna mœstitia & ægritudine omnium animi conficerentur, mos fuit certos homines in montium fastigia dimittere, qui oculos in omnem partem studiosius

intenderent, vt cum primum Orientis Solis iubar & ſplendorem animaduertiſſent, ad ſuos nulla interpoſita mora nuntij gratiſsimi redirent. Igitur illi quinto ſupra trigeſimum die, cum tenuem radium in Oriente contuiti fuiſſent, aut id falſo in animũ induxiſſent, in agrorum patentium æquora veniebant, cum exclamarent ſumma omniũ voluptate & animi contentione, fore vt iterum gratiſsimo Solis conſpectu poſt dies quinque fruerentur. Tum nimirum triumphare omnes geſtienti lętitia, maximis gaudiis & incredibili voluptate efferri, choreas in numerum ducere, agitare conuiuia, vt tum demum à mortuis pænè ad vitam & cœlitum communionem ſe reuocatos exiſtimarent. Non ſumus tã à Sole in Gallia diſsiti Auditores, nec ita ab humanitate alieni, vt Thulenſes, qui extremę barbariæ fluctibus alluuntur. ſed tamen hac immani tempeſtate atque tenebris, inuſitatus quidam horror tenuit animos, cum lux patriæ, cum totius Europæ decus, & ille ſplendor feliciſsimi dominatus, nitidum caput regiúmque obtexit

— & æternam timuerunt secula noctem.

Non potui non vehementissimè commoueri, in ea tristitia temporum & acerbitate, in ea communi caligine, qua fractos pænè omnium animos & deiectos vidi, cum eo, quo stante vigebat, indignissimè violato, luctuosam patriæ calamitatem & occasum timerẽt. Obuersantur menti meæ veterum annalium monumenta, quæ ad laudem æternam Quiritiũ singulari orationis copia Liuius prodidit, apud quem video scriptum, bello Punico, atrocium rerum metu fuisse in Italia trepidatum, cum magnæ viri auctoritatis, Solis orbem minui visum, prodigij loco retulissent: Nos eum Solem, qui præstantissimę dignitatis & augusti honoris luce, tot gẽtes & regna complesset, non imminutum, sed extinctum videbamus, & in tantis irati cœli prodigiis, sine metu & dolore esse potuissemus? O Gallia! túne illa es quæ vt quondam Syracusæ, omni die, vel hyberno, Solem sibi adlucere gloriabantur, sic HENRICO cœlum ipsum factis & gloria obeunte, lucem fore tibi diuturnam felicitatis & perennem iactabas? Cum Romani im-

perij habenas Gordianus eximia au-
ctoritate regeret, ea Solis defectio con-
tigit, vt die medio nox inopina conse-
queretur, sic vt perdiu nil sine facibus
agi posset; quæ res illi vniuersóque im-
perio grauia mala portendisse ferebatur.
Cum verò Sol Gallicus non ad exi-
gui durationem temporis, sed occasu
miserando penitus defecerit, quid spei
tādem hisce Prouinciis, aut exteris na-
tionibus, quibus sua virtute lucebat,
reliquum esse videbatur? Sed accipite
quæso, Rhedonenses, quod Galliæ ca-
lamitatem leuare potest, & tenebrarū,
quibus inuoluti, plus etiam quàm illæ
ad Septentrionē gentes, affligebamur,
vim & acerbitatem minuere. Putatote
me adesse nuncium, non tā è specula in
editissimo mōte collocata, quàm exci-
tata in meum Regem beneuolētia, qui
confirmem, LVDOVICVM nouum
quendam Solem esse exortum illi ab-
eunti simillimum, cuius in luce homi-
num luctus communísque omnium do-
lor conquiescat. Excitate mecum ani-
mos ad hunc splendorem intuendum,
nec sit vllus qui non veterum Thulen-
sium more, post tenebras & funestum

hunc Galliæ casum maximo gaudio, lætitia immensa triumphandum putet. Apharantum è Lybia fuerit proprium, vt viri docti memorarunt, Deum lucis odisse, & Solis ortum maledictis & cõtumelia prosequi, quod ardentis plagæ sydere vehemẽtius adurantur. Nos qui noui syderis benignitatem intuemur, eius indolem vt diuinam miramur, & incredibilem oris dignitatem, non gestiamus? non hanc tantam patriæ felicitatem inusitata quadam ratione gratulemur? Date igitur mihi hanc veniam, Auditores, vt de communi & iucũdo hoc solatio, & meæ Galliç in summa rerum omnium desperatione medicina, verba faciam: res erit nec indigna expectatione vestra, nec à loco & tempore aliena, nec abhorrens à meo officio, qui vitam omnem LVDOVICO, qui lubens volẽs meam industriam, qui studia Regi potentissimo certa animi inductione cõsecraui. Ac mihi quidem de hoc Galliæ bono cogitanti, suboriri visa dubitatio, plúsne sibi gaudij & felicitatis, quàm patriæ vniuersæ pollens HENRICVS peperisset, cũ sobolem hanc auream, votis omnium expetitã,

ſanè diuina in hoc imperiū Gallicanū prouidētia, & numinis caritate produxit. Nō poterat quidē ille non incedere omnibus lætitiis, Auditores, liquidóq; frui gaudio, cū videret, ſibi natum eſſe diuinitus, cui nō modo ſceptrum & coronam, & regiæ domus ornamenta, ſed quæſitū magnis laboribus decus, & efflorefcentem gloriā poſſe cōmitti exiſtimaret. *Intereſt morientiū vt ſucceſſores habeāt*, inquit Vlpianus. & alia lege Prętor dicitur id impenſè curare, ne quis ſine ſucceſſore moriatur: talē vero habuiſſe liliorum hæredē, non à Prætore, ſed ab omniū moderatore Deo cōceſſum, an nō tantum attulit magno Genitori voluptatis, quantú animo cogitari nō poteſt? Memini Ptolemæi in AEgypto regis clariſsimi, qui cum filium imperij ſui dominum & Regem declarauiſſet, ſingulari quadā lætitia, & iucundo ſenſu voluptatis, eidem inter ſatellites inſeruiebat, cum diceret, *Omni regno videri pulchrius Regis eſſe patrem.* Ita quidem eſt; liberorum omnes ſuorum laude & honore lætantur, nec quicquam audiri poteſt iucundius, quàm cum Ciuium lęta beneuolentia & veneratione celebrantur.

Hic igitur mihi mentibus animísq; vestris contuemini magnum Heroem Iunonium partum ſuauiantem, quem vix natum iam deſponſum coronæ, iã Delphinum, iam Cæſarem cõmunibus ſtudiis atque votis renunciatum ſciebat: non dubito quin ad ea præſtabiliſsima dona, quæ diuino beneficio eſſet adeptus, hunc cumulum abſolutę fœlicitatis putaret accedere. Sed vt prius aiebam, Auditores, ídne felicius Galliæ vniuerſæ, an parenti fuerit, haud omnino conſtituere poſſum, in ea pręſertim importuna tempeſtate, qua deformatam bello & tumultu patriam & diuturna calamitate experiębamur. Quæ cũ votis, & populorum cõſentientium precatione, regiam prolem expetiuiſſet, eam tamen tot annorum intercapedine cõſequi minimè potuiſſet. Quot enim effuſæ preces ſuperiori æuo, cum HENRICVS tertius præſtantiſsimus Heros Imperij Gallicani habenas moderaretur? quot vota nuncupata? quot decretę ſupplicationes? qui chori hominum orantium inſtituti? quot obitæ religioſę precationes? quæ luſtrata ornatáque delubra? quot ieiunia & corporis affli-

ctationes susceptæ, vt Gallia rerum futurarum spe & timore suspensa, in Delphini peropportuno præsidio, & dominatione conquiesceret? quas omnes gétium precationes, non benignissimus ille hominum parens, cuius nutu cœlum, tellus, mariáque regũtur, penitus abiecit, & repudiauit, sed distulit atque sustinuit, dum huius serendi atque procreandi maturitas illa existeret, quam videtis. Quare cum LVDOVICO ex euersæ patriæ cineribus, & fumatis calamitatis reliquiis, imperij nostri decus attolli cœpit, & ea gloria, quã stratam & abiectam boni omnes mœrebãt, inuidi gratulabantur. Ea nocte qua satus cõceptúsque est Constantinus, eius parens magni exercitus Imperator mirabile quippiam vidit, quo portento singularis dignitas, & egregij fœtus claritudo, & commune decus Imperij significaretur. Nam cum esset in tabernaculo, præter cursum ordinémque naturæ, animaduertit, ab Occidentali Oceano exoriẽtem Solem enasci. Prouidit ab eo tempore studiosissimè. vt filius iam ad res magnas cœli destinatione procreatus, omni cura, Sapientũ institu-

ſtitutione educaretur: neque enim dubitabat quin nouam lucem Orienti vel potius orbi terrarum eſſet allaturus. Quantam lucẽ attuliſti Galliæ tuæ LODOICE! quam facem! quem liquidum feliciſsimi ſtatus ſplendorem extuliſti ab Occidente, qui deinde ſit, feras gentes barbaráſque nationes, & Europam omnem illuminaturus! Quæ nobis Deus immortalis tenebræ fuerant in Gallia! quæ nox offuſa omnium mentibus, & caligo Cimmeria longè funeſtior! Nam Cimmerij quidem vt doctiſsimi homines ſuis commentariis reliquerunt, quadam anni tempeſtate, Solis radiis, & cœli ſplendore fruuntur, nos autem perpetua ſerie tot annorum, cæcis bellorum turbinibus exagitati, oppleti vmbris diſsimillimarum opinionum, & immenſa caligine circunfuſi, nihil videbamus: error, tenebræ, inſanientium hominum perfidia, deſertorum auitæ religionis impia crudelitas, & audacia dominabantur. Cùm ecce nobis HENRICI filius, Hyperionis radius, clariſsimum lumen ab occidente, fax pietatis, imperij beati ſplendor, pharos aurea LVDOVICVS: cuius in

luce mox Gallia quæ in alto seditionum fluitabat, cursum tenuit ad felicissimū otij portum & tranquillitatem, quò nos HENRICVS plenissimis velis & diuinæ mentis aura prosequēte ducebat. Itaque non ille modo Delphinus in vndis visus, quem turbato mari fundentem aquam, portendere aiunt tranquillitatem, verum etiam è cœlo deuolans cæruleis pennis columba, quæ insigne pacis oleam ferens, diu iactatam & emergentem è fluctibus illis calamitatis patriam exhilararet. Nerua Imperator non Traianum prius in filium adoptauit, quàm allatam è Pannonia lauream in Iouis gremio deposuisset: quo tempore magna populi Romani frequentia & gratulatione, in Capitolio, ante aras & puluinar Iouis Optimi Maximi, filiū legit hæredē imperij, qui motus in rep. maximos, & turbulentissimas seditiones, mirabili deinde facilitate, & cœlesti felicitate pacauit. Qui cū esset eiusmodi vt honor capitis & dignitas oris latè Principem ostentaret, & cōcentus omnium laudum omnísque gloriæ, qui iam in vita moribúsque audiebatur, bonum parentem fore patriæ, orbísq; ser-

uatorem polliceretur, cum Senatus populúsque Rom. communi omnium elogio, & æterno præconio honoris & dignitatis *Optimum* indigitarunt. Sic HENRICVS domita perfidia, & extinctis bellorum incendiis quæ longè & latè furebant, Deo parenti gratulatus victoriam atque triumphos, quos multos de variis hostibus inaudita felicitate reportauisset, regni hæredem consecutus est, ad pacandam Galliam felici auspicio generatum, cui Senatus populúsque vniuersus illud *Optimi* elogium incorrupto iudicio tribuant. Et quidem si ex vultu & lineamẽtis tacita coniectura duci potest, si vt Pacatus Theodosio Imperatori aiebat, *Augustißima quæque species plurimum creditur trahere de cælo*, si propter capitis atque oris excellentem prastãtiam, quidam vt est apud Euripidem digni principatu iudicantur, ea fuit statim in LODOICO regię formę dignitas, & maiestas animaduersa, vt intuentes facilè intelligerent, cœlo satum, diuina manu fictum, & dignissimum eo principatu, in quo maiores summa laude gloriáque floruissent. Quid quod animum statim ac mo-

liri quidpiam & efficere potuit, HENRICO parenti simillimum ostendit, potuítne magis illa prouidentia, quæ hic omnia suo arbitrio moderatur, mouet, regit, hominum votis & expectationi fauisse? Poeta Hesiodus qui primus Theologię priscæ Doctoribus, tum scribendi elegantia, tum peritia intelligendi, modico interuallo accessit, in sæculi aurei felicitate ponit infantium puerorum ad parentes similitudinem. Id Orator Gallicanus dulci quadam ratione politus & eloquens, in Magno Constantino animaduertit, quem cum ornaret copiosius, *In quem*, ait, *se primâ Constantij Patris iuuenta transfudit, in cuius ore cœlestes illius vultus natura signauit. qui adspectum illius ad Deorum concilia translati, adhuc desiderantibus nobis sufficit pro duobus.* Hic Galli vos appello, vt hanc mecum patrię felicitatem, in qua vna mihi omnia complexa videntur, recognoscatis. Vos cum HENRICVS inaudita Sapientia tot gentes prouinciásq; moderaretur, cum victoriarum suarum insignia & trophæa vbique statueret, cum nominis sui existimationem immensa gloria propagaret, cum eius diuinum

ingenium hoſtes, & animi excelſitatem metuerent, ciues amarent, cum eius ductu atque auſpiciis omnia in dies felicius omnibus euenirent, optare ſolebatis, quod incredibile propè videbatur, vt eſſet aliquando Rex in Gallia, qui proximè ad eius perfectam & conſtantem virtutum omnium abſolutionem accederet. Iam illa pręſtans & diuina mens nobis conceſsit, vt Dominatorem haberemus æmulum eius glorię, laudis imitatorem, ſimilem deniq; Patri, Matri non diſsimilem. Ingenioſus Columella qui non ieiune de rebus cõmunibus diſſeruit, nihil eſſe dubium putat, quin ipſa natura ſobolem matri ſimilem eſſe voluerit. Bene habet: Illuſtriſsima Heroina cuius excellentiæ dignitatem nec Hetruriæ fauces, nec Italiæ totius anguſtiæ capere potuerunt, Mater eſt LVDOVICI: is autem Genitor, qui eos qui fuerunt, qui ſunt, aut futuri ſunt aliquando, præſtanti virtute ſuperauit. Hoc tantum ſi in oratione mea ſumerem, Auditores, an non facilè quiuis intelligeret, nihil melius atque nobilius aut à nobis optari LODOICO, aut à Deo concedi potuiſſe?

Age dæmonie Aristoteles, cuius dicta & præclarè excogitata sunt plurima, sapientię doctor singularis, pręi nobis quid in hac re sentiamus. Audio quid in libris de ciuili administratione breuiter posueris, esse consentaneum & naturę conueniens *Ex melioribus ortos esse meliores*. Quod mihi quidem pro oraculo est futurum, cum intelligam, non eum posse non incredibiliter excellere, qui parentes tam regijs notis claros & insignes, tot diuinis muneribus ornatos, tot glorię monumētis illustres, ore fingat, animo referat, imitatione sequatur. Hanc autem regiam indolem eximiæ dignitatis, vt solum quoddam & excellentię fundamentū excepit deinde puerilis illa institutio, quam nostri Proceres illi purpurei, qui fortunis omnibus circunfluunt, mirari facilius possunt, quàm æmulari. AEthiopum gens ijs tēporibus quibus exculta fuit disciplinis, & doctorum hominum peregrinatione celebrata, duo quædam in fortunæ bonis, aiebat esse palmaria, studio omni & voluntate prosequenda, *Regium Principatum & Virtutem*, quæ Numen iis concederet, quos cœlestis munificentiæ

donis putaret esse dignissimos. O deliciæ mundi LODOICE, quem te esse feram! qui Delphinus in lucem introiens, hoc est opinor coronatus, regiũ nomen obtinuisti, in quo sanè vt Poëta grauis & incitatus animi inflammatione Pindarus auctor est, τὸ ἔσχατον κορυφοῦται, decus omne dignitatisque mortalium, vt in summo honoris fastigio conquiescit. Deinde cum loqui, & parentum monitiones intelligentia consequi potuisti, hæc audiebas, nihil esse virtute melius, nihil præstabilius: in ea decus, & propriam dominantium gloriam sitam & locatam esse, eam in omni administratione sequendã, eam omnibus rebus anteponendam, in ea viuendum, in ea denique moriendũ. Quæ te captum euestigio ita suis illecebris, & singulari venustate gratiáque deliniuit, vt tu quoque fatereris, nihil ea formosius, nihil pulchrius, nil amabilius, nil quod magis alliciat homines ad diligendum: & quod fuit in ea naturæ bonitate sperandum, instar magni Sapientísque Salomonis, eam tibi in sponsam carissimam, & vitæ communionem cuperes adiungere. Maximia-

nus is qui Romani imperij clauum diu est moderatus, cum puerum adhuc Cõstantinum, qui ab inclytis postea facinoribus Magni cognomen obtinuit, conciliare vellet, & ad sacrum illud fastigium diuinæ potestatis astruere, pictorem euocauit vnum egregiè nobilem, qui si fides doctorum hominũ monumentis adhibenda est, Apellem atq; Parrhasium scientia anteiret. Hunc iubet tabellam effingere, arcani consilij indicem, mysteriisque redundantem: nam in medio puella visebatur iam diuino decore venerabilis, quę sustineret, & formoso puero galeam porrigeret auro gemmísque radiantem, & pennis pulchræ alitis eminentem, quam tabellam ad ipsum conuiuij aspectum, Aquileiæ in regio palatio poni iussit. Nec defuerunt viri Principes & ingeniosi bene multi, qui variè istam picturæ elegantem varietatem, pro animi sui voto interpretarentur: sed vulgò omnes puerum illum sydereo aspectu & formæ dignitate præstantem, Constantinum, galeæ ornatum & insigne, sponsalia munera significare dicebant. Hic pictura longe augustior mihi obuersatur, ab

tur, ab æterna Sapiētia viuis coloribus, & arcano penicillo efficta, quæ puerum egregia indole cœlestíque ornatum ferat meū LVDOVICVM, Regio ore, dulci pudore, Numinis gratia augustóque fauore micantem. Illi Virtus egregia modestia virgo & venustate, galeam offert, non eam quæ Amasi pro Regio ornamento data fuit, non Magni Alexandri iuba horrentem, & suggestu pēnarum candidissimarum ornatam, non Pyrrhi clarissimi Regis & in bello strenui Ammonis cornua præferentem, sed diuinis oraculis expressam & delineatam, quam sanctarum legionum ductor D. Paulus, cum Christianam armaturam describit, galeam salutis, & longe illo antiquior Salomō, iudicium appellat. Hæc cassis vt auro & insignibus gēmis, sic virtutum incredibilium splendore & augusta dignitate collucet: è cono purpureæ pennæ fulgurant, mixtæ candore, non Iunoniæ volucris molliores, sed alitis Iouiæ planè viriles, quæ nescio quem cœlestem cursum edoceāt, & volatum quasi moliri videantur. Hic vero quid Principes in Aula viri hæreāt diutius, vt huius picturæ intelligētiam

assequantur? nam mysterium neque abditum est neque difficile, & tabella in bono quod aiunt lumine, in omnium oculis & conspectu est locata. Iam dixi eam Virginem, cuius excellens muliebris formæ pulchritudo mouet oculos & delectat, Virtutem esse, amoris sui in Regium adolescentem æternum monumentum galeam porrigentem: quæ mihi propemodum hac vti oratione videtur, Macte animo & hac indole Rex LODOICE, decus Europæ, spes Galliæ columénque tuæ, delitiæ orbis terrarum, cape hoc tegmen diuini capitis, seu præsidium, siue ornamentum futurum: te vna cum Regio insigni, iustum iudicium æquitásque circumambiat, ad terrorem perditorum, & innocentium defensionem. Hãc galeam instar Magni Constantini cruce armes, pietate insignias, religione inaures, vt in pace, & externo bello quiescente, bella Domini egregiè pugnare queas. Tui maiores è vetere memoria Galli, olim in galeis coralium ferre consueuerunt, quippe Arioli atque Vates imprimis religiosum esse id gestamen amoliendis periculis arbitrabantur, quidam etiam tute-

iam infantiæ adiungebant : hic ornatus pietatis, pueritiæ tuæ commune præsidium erit & tutela, & periculorum omnium acerbitatem, dubiámque fortunam, longissimè à tuis amolietur. Hæc breuiter illa donum attollens, & dulci oculorum coniectu magnanimi Adolescentis illibatum coniugiū æthere cōscio liquidiúsque fulgente ambiebat. O sponsalia munera! ô dotem opulentam! ô Nymphæ cœlestis lautum & elegans instrumentum, cuius in luce Constantini pueri felicitas & veterum omnium Imperatorum magnificentia obruatur! Lubet iterum exclamare, ô thorum genialem sparsum lilijs atque rosa, Medicea rosa & lilijs Gallicanis! ô faces nuptiales igne & auro micantes, in nocte patriæ & communi hac calamitate accensæ diuinitus & instructæ! fortunatas millies nuptias, in quibus haud iniuria cornix è veteri more inuocetur! sponsam dignissimam quam maritus amat non omnibus modo vndis, sed & terra! Qualem eum futurum esse virum putamus, quem iam inde pæne ab incunabulis Virtus sibi despondet, Pietas cōciliat, Religio Herculeo nodo astrin-

git? Nam religionem quidem & germanam pietatem vna cum lacte & communi hoc ſpiritu hauſit, quam verè omnium virtutum fundamẽtum Chriſtianæ vitę magiſtri longe optimi & ſapientiſsimi eſſe dicunt. Erant in oculis vtriúſque parentis clariſsima exempla magni cuiúſdam & inuſitati in diuinam mentem amoris & beneuolentiæ, perſonabant eius aures quotidie ſuauitudine & concentu orationis, trophea crucis fideiq; inſignia proponebantur. Iam tum à prima pueritia ingenitæ pietatis ſe igniculi efferebant, & iucunda lucebat imago ſanctiſsimi LVDOVICI, cuius non modo ſceptri hæres atque nominis ſed virtutum etiam religioníſq; fuit. Neque iam deſunt quotidiana parentis lectiſſimæ admonita, quæ currenti quod aiunt calcar, & ſua ſponte incitato, ſubinde nouos aculeos ſubijciat, quæ quantum regio animo ſanctitatem cõcilient, non eſt meæ inopiæ & tenuitatis explicare, Auditores, vos taciti cum animis veſtris cogitare in otio poteſtis. Aureliano quondam Auguſto felix ac diuturnum portendiſſe imperium ferũt, quod puerulum adhuc in faſciolis cuníſque vagi-

entem, aquila innoxiè aureis è cunabulis extulexit, in arámque portarit, quę prope ſacellum fuit ornatiſsima. Qualem igitur augurari par eſt fore LVDOVICVM Gallię ſpem & imperij tanti ornamentum, quem non auium pręſes Aquila, ſed virtutum Regina parens clariſsima puerilibus annis exceptum, ad aras, ad auitam religionem, ad omne genus pietatis applicuit & inſtruxit? Theodoſius imperator cum Arcadium erudito Arſenio docendum committeret, id grauiſsime admonuiſſe fertur, *tunc prolem ſuam verè forè dignam imperio, ſi cum ſcientia æque imbuta fuiſſet pietate.* Magnifica plane vox, & Chriſtiano orbis terræ moderatore digniſsima, quam eodem ſpiritu aflatus Gallię Magnus gubernator HENRICVS, in filio erudiendo ſic tenuit, vt in eo ipſo curas omnes, ſtudia, cogitationes fixiſſe videretur. Itaque nihil iam dulcius erat LVDOVICO, quam ſacris & ceremoniis intereſſe, adire pia loca religioni conſecrata, numen precari ex maiorum inſtitutione, celebrare conciones, pios ſermones de diuinis rebus libenter audire, homines vitę inſtituto moribúſque re-

ligiosos in oculis sinúque ferre, cultu & veneratione prosequi, eximiè diligere. Quod illi tam perenne fuit atque perpetuum, iam vt signum sustulisse videatur flori adolescentium, & aulicæ nobilitati, pudoris, modestiæ, & commemorandę pietatis. Hic vero mihi venit in mentem pulcherrimi facti, quanquam quo nomine appellem nescio, pulcherrimum dixi factum, & verè quidem, vos Rhedonenses cum rem audieritis, quibus verbis eam cohonestetis si lubet excogitate. Videre videor quorundam ingenia iam orationem meam anteuertere, & expectare dum dicam matutinas ab illo precationes æque ac vespertinas sũma religione persolutas; sed non est illud quod mentem sua nouitate rapit meam, quippe vsitatum & quotidianũ: Sed neque dicam piaculariũ globorum resticulam sæpe fuisse manu lectam piéque numeratam, nam quod in animo habeo, superiora omnia, mea quidem sententia suo splendore præstinguit. Quid igitur illud est? aut quid dignum expectatione vestra proferetur? Attendite vt facitis quæso diligẽter, Auditores, nudè breuitérque memorabo sine

floſculis orationis, ſine ambitu&circũductione, ne diuina illius gratia atque formoſitas laciniosa dictione inobſcuretur. Sacrum fuit ſtatum & ſolenne quod celebrare cõſueta religione voluit Rex HENRICVS: cum in fanum ſupplicatum iret, ſequi filium iuſsit & gregem egregiæ nobilitatis. Res ſanè acta eſt cum dignitate, ſumma frequentia, magnifico apparatu: regium ſubſellium occupat HENRICVS, haud procul alia in ſede filius, hinc inde Principes, reliqua à tergo nobilitas diuina myſteria votis & attentione proſequũtur. Cum LVDOVICVS ſumma animi demiſſione in rem ſacram intentus, leuiter oculos in alteram partem flexiſſet, comatulum vnum animaduertit, familiæ vetuſtate, quàm inſita pietate nobiliorem, qui genu alterum cum in ſolo poſuiſſet, cum luminibus & ceruice molliori, vacuam & inanem mentẽ circunducebat. Hic Delphinus modeſtiorem vnum aduocat, moneri hominem iubet, vt vtrũque flectat genu, ſe Chriſtianum eſſe meminerit, Dei præſentis & tuentis omnia numen ſanctè & auguſtè veneretur. Res celari minimè potuit: tum mirari

omnes & ſtupore defigi primùm, deinde laudare, capita inter ſe conferre, tacita admurmuratione prodere, donec ad Regem de manu quod aiunt in manũ veniſſet. Ille facto vehementiſsimè lætatus, cum tantiſper in acerrima cogitatione hæſiſſet, *Puer* inquit, *nos ſenio penè confectos, quod pudeat aliquando, pietatem & boni viri officium docet.* O puerum non puerum, de quo verius quam de Romano Imperatore Vates illa ceciniſſet.

Ingenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgit.

O commemorabilem caſti animi religionem, quam ad omnem poſteritatis memoriam aula regia multos annos celebrabit. Sinite me hoc loco præterire ſilentio, Auditores, quæ in hanc rem copiosè dici poſſent, vt ad alia æquè læta & admiranda veniamus. Nam quę eius dicta, quæ apophthegmata in hac ætatis teneritudine nuntiantur? vllúſne fuit ſuperioribus annis Lutetiæ, qui ſi eum audire potuerit, non miratus ſit inuſitatam maturitatem? Gentem quãdam in Albania eſſe ferunt, quæ naſcendo ſenium præferat, caníſque redundet: hic video ſenilem prudentiam & pue-

ritiam virtute canescentem. Persarum magnus Asiæ dominator, Legatos miserat ad Philippum Regem Macedoniæ, qui tum forte grauissimis negotijs occupatus, procul à domo Regiáque aberat. Igitur Alexander tũ adolescente, aut potius puer, eos viros sanè graues & augustę dignitatis, patrijs in ædibus conuiuio excepit humanissimo apparatu. Neque vero vt fere fit pueriliter illos multa interrogauit de vite aurea, solióque Cyri, de pensilibus hortis Babyloniæ braccísque Persarũ, sed de multis grauioris momenti rebus, de amplitudine Persici imperij, de copijs, de vectigalibus, de militari disciplina, de varietate regionum & prouinciarum. Quæ cum peteret, Legati nimirum in ea pueri grauitate & prudentia exhorrescebant, & abeuntes clara voce dixerunt, *Eum puerum Regem esse magnum, suum autem duntaxat opulentum.* Quod si potest duci è sermone & oratione coniectura, si iam inde à primis annis ex animi insita prudentia, maturóque iudicio, tanquam in herbis augurari licet, quę deinde fructuum vbertas, quàm læta seges abundáns; sit futura, cũ ea dicta LVDOVI-

omnes & ſtupore defigi primùm, deinde laudare, capita inter ſe conferre, tacita admurmuratione prodere, donec ad Regem de manu quod aiunt in manũ veniſſet. Ille facto vehementiſsimè lætatus, cum tantiſper in acerrima cogitatione hæſiſſet, *Puer* inquit, *nos ſenio penè confectos, quod pudeat aliquando, pietatem & boni viri officium docet.* O puerum non puerum, de quo verius quam de Romano Imperatore Vates illa ceciniſſet,

Ingenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgit.

O commemorabilem caſti animi religionem, quam ad omnem poſteritatis memoriam aula regia multos annos celebrabit. Sinite me hoc loco præterire ſilentio, Auditores, quæ in hanc rem copiosè dici poſſent, vt ad alia æquè læta & admiranda veniamus. Nam quę eius dicta, quæ apohthegmata in hac ætatis teneritudine nuntiantur? vllúſne fuit ſuperioribus annis Lutetiæ, qui ſi eum audire potuerit, non miratus ſit inuſitatam maturitatem? Gentem quãdam in Albania eſſe ferunt, quæ naſcendo ſenium præferat, caníſque redundet: hic video ſenilem prudentiam & pueritiam

ritiam virtute canescentem. Persarum magnus Asiæ dominator, Legatos miserat ad Philippum Regem Macedoniæ, qui tum forte grauissimis negotijs occupatus, procul à domo Regiáque aberat. Igitur Alexander tũ adolescente, aut potius puer, eos viros sanè graues & augustę dignitatis, patrijs in ædibus conuiuio excepit humanissimo apparatu. Neque vero vt fere fit pueriliter illos multa interrogauit de vite aurea, solióque Cyri, de pensilibus hortis Babyloniæ braccísque Persarũ, sed de multis grauioris momenti rebus, de amplitudine Persici imperij, de copijs, de vectigalibus, de militari disciplina, de varìetate regionum & prouinciarum. Quæ cum peteret, Legati nimirum in ea pueri grauitate & prudentia exhorrescebant, & abeuntes clara voce dixerunt, *Eum puerum Regem esse magnum, suum autem duntaxat opulentum.* Quod si potest duci è sermone & oratione coniectura, si iam inde à primis annis ex animi insita prudentia, maturóque iudicio, tanquam in herbis augurari licet, quę deinde fructuum vbertas, quàm læta seges abundánsq; sit futura, cũ ea dicta LVDOVI-

c i, cum eius sermones videamus altæ mentis animíque sapientis indices, fateamur necesse est, eum Alexādro haud paulo minorem, vetere etiam illo Persarum Imperatore, Rege magno & opulento, maiorem & oplentiorem futurum. Age vero sit insigni aduersus Deum pietate, modestia, grauitate; iámque exacuerit ingenij aciem ad eam prudentiam quam miramur: at exigui forte animi & imbellis, qui nunquam dignas heroe cogitationes suscipiat omnium gentium negotiorúmque victore. Sed cui Gallo hoc in mentem venire posit, cui non statim id Poëtæ boni obijciatur, *Fortes creantur fortibus & bonis?* Videmus in equis cæterísque animantibus, ortu & procreatione, generis vim atque robur in perpetuas propemodum ætates fundi & propagari. Ab Aquila generosa timidæ nunquam pauitantésque columbæ gignūtur: & H e n r i c i vim & naturā, & diuini animi excelsitatem, nihil hic valuisse credamus? In Britannia quondam Insula si quando mater infantem puerum in lucem edidisset, primos cibos gladio mariti imponere consueuit, ínque os paruuli mu-

crone summo auspicium alimentorum inferre: sic opinor fieri posse existimabant, vt parentum heroica virtus, & in bellis egregia animi fortitudo, in filios deriuaretur. Fuit quidem natus ijs temporibus LVDOVICVS, quibus adhuc strictus erat parẽtis gladius & coruscãs, ad terrorem hostium & calamitatem, sed paulo ante insigni victoria laureatus, & pacata olea florens, ad æternam patriæ securitatem, ciuium decus, & Gallorum omnium præsidium. Hunc gladiũ toties in ore atque in oculis habuit, ad hanc animi excellentiam à Regina Matre illustri fœmina institutus fuit, hoc Principis magnanimi pugione cibum regium vt ita loquar temperauit, & dubitemus illam parentis animi excelsi atque inuicti magnitudinem atque robur, in claram & primigeniam sobolem fuisse immissam? Siculus Poëta cum AEgypti Regem Ptolemeum versu&numeris, atque nota suauitate in cœlum attollit, Reges quidem & gentium omniũ duces ac moderatores Ioui Saturnio curę esse ait, eúmque imprimis futurum esse clarissimum, quem benigno lumineNumen aspexerit γεινό-

μένον πατρῷα, primogenitum, quem deinde in vita magna quædam perennísque rerum ominum felicitas consequatur. Id sanè verum esse puto, regiæ prolis curationē adhiberi à Deo & prælertim eius imperij & felicissimi dominatus, vbi vera Numinis religio domicilium collocauit: Sed eam maximè prouidentiam in LVDOVICO, licet animaduertere, quem primo natum ita superi omnes cura & beneuolentia complexi sunt, vt parētis egregia decora, & singularia mentis ornamēta in eo insita & ingenerata fuisse videantur. Adamãtem in excellentissimo auro deprehendi ait Polyhistor, sic in ea regia indole & augusta specie dignitatis, quæ hactenus iam inde ab initio spem eximiam sũmæ virtutis exhibuit, lucet animi fortitudo similísque Genitori constantia. Ad hanc vero præstabilem naturam & generosæ mentis inductionem, cum fama veri nuncia, quę vulgare pulcherrima quæque solet, ad aures accesserit, cum HENRICI clarissimos triumphos, laureásque in bello partas, cum insignem æquitatem, cum singularem & prope diuinam clementiam, cum inau-

ditam humanitatē, fidem, religionem, cum præstantissima facinora quæ in Ara æternitatis hominum studio & religione consecrātur, quotidie pro dignitate commemorabit, vt sese Borbonius sanguis vegeto quodam & innato ardore exsuscitabit? vt LVDOVICI vis atque virtus, in cœlum via regia, & parentis vestigijs notata feretur? quas inde rationes administrandi, quantā sapientiam hauriet? vt in Magno Genitore superando, quantum ætas & negotiorum cursus vitáque patietur, elaborabit? Nam si vnis Miltiadis trophæis sic Atheniensis ardebat Themistocles, vt nec diurnæ nec nocturnæ quietis partem vllam caperet, cum tot & tanta bellicæ laudis victoriæque insignia & monumenta regius videbit Adolescens, quos stimulos gloriæ sentiet, quos aculeos laudis, quam flammam æstúsque imitationis? Hominum quondam excellentium fores atque vestibula ita spolijs & trophæis ornabātur, vt liceret ea nemini à loco refigere: LVDOVICVS illa procreatoris sui decora & victoriarum insignia, fixa in animo, & ad perénem consequentis æui memoriam stu-

diosè impressa, vnquam excidere & auelli sinat? Imo vero neque hic coniecturis agendum est, Auditores, neque diuinandum, aut peruestigandum subtilius quid futurum sit aliquando, cum ea quæ fiunt, quæque eueniunt quotidie in oculis auribúsque habeamus. Nam ij sermones magnanimi Principis esse feruntur, ea consilia ineuntur, ea iam lucet inuicti animi grauitas, & magnitudo, vt qui ora modo intuëtur, facile perspiciant, esse in eo quam Democritei summam bonorũ esse aiebant, εὐθυμίαν, animum terrore vacuum & excelsum. Itaque ni ætas & corporis teneritudo impediret, HENRICVS Magnus iam Virbius, iterum in vitam lucémque reuocatus, certè geminus HENRICO filius vel ab ignotis diceretur. Ego vero qui hactenus non ita felix beatúsq; fui, meum vt Regem summa animi mei voluptate corã aspicerem, tamen intuens in eas imagines atque oris expresſiones quæ feruntur, is in vultu mihi lucet imperatorius ardor & dignitas, vt non dubitem cum Poëta Græco exclamare Οἷος Ἄρηος! O germana HENRICI progenies! Martis genus! stirps Heroũ!

presidium Galliæ! tuorũ firmamentum! Sacta fuit stirps quædam in Boeotia eorum Indigetum, qui primi Thebas summa gloria & nominis sui existimatione condiderant, Sparti nominabantur. Illi autem in vitam hanc venientes, impressam à natura lanceam in corporibus habuerunt, insigne honoris, diuini generis argumentum. Tu sacra propago Indigetis pollénsque germen, non victricem parentis lanceam, aut fulgentem gladjum impressum, sed vim & genium HENRICI totius corporis animíque vestigiis in mundum attulisti. Vere hoc dicturus sum, Auditores, non defuerũt in Gallia Principes & Dynastæ, qui tametsi forent honestissimo & nobilissimo genere procreati, tamen nescio quo fato, nihil altius quam quod mediocres homines solent, suspicere vnquam potuerant, & prope in fæce & angusti animi humilitate considebant: qui deinde cum ad Aulam mentem applicuissent, cupidiúsque oculos intendissent in admirandum HENRICVM, ita euestigio vt Circea virga sunt immutati, vt generosam animi constantiã induerent, & antiquæ familiæ decus herois quadã

imitatione seruarent. Quid igitur mihi hic faciet LVDOVICVS domestico exemplo fretus & diuturna Patris institutione? præsertim cum ita sit ingeniosus & solers, vt ea quæ maximè excellant notare posit? Gratianus Imperator trabeas habuit siue palmatas auro graues, opere Phrygio elegantissima textura elaboratas, in quibus Diuus Constãtius, vnde ille originem ducebat, exquisito artificio depictus fuit, qui nepotis gloriosum animum per medias laudes quasi albis quadrigis vehentem, egregiè factorum memoria titillabat. LVDOVICVS cum non modo paludamentum habeat, aut expressas magni parentis imagines, sed viuam agentémque naturam similitudine fusam, & naturæ communione geminam, certè non poterit non accendi vehementius, & in eo cursu honoris atque laudis, his stimulis & tacita monitione incitari. Hoc duce, hoc inuicto moderatore, hac prçstantis animi gloria freti & securi, quidquámne est, Auditores, quod aut nobis aut florenti Galliæ imperio timendum existimemus? Nisi fortè minus illi carã patriam esse putatis. at ciuilium legum dicta

dicta & effata verissima exaudiuntur, *Præsumi filium* esse eiusdem voluntatis & affectus cum Patre: quæ si nulla bonus Imperator in Digestis poni voluisset, tamẽ auderem liquido affirmare, meũ Regem tam communis salutis amantẽ, tam egregiè in suos omnes animatum, vt ea in re Parenti optimo nihil aut parum concessurus esse videatur. Neque verò cogitãdum est, quod imperitis venire in mentem possit, eam pueritiam quam videmus omni genere laudis efflorescentem, regio splendori gloriæque obfuturam. Quis enim tam est in humani generis cognitione hospes & peregrinus, qui nesciat, esse quædam alia propè infinita quæ annos supplere possint? *Gotthis ætatem* legitimam Virtus facit, aiebat olim Italiæ Rex Theodoricus: Imo Gallis, imo Regibus à diuina mente lectis ad imperia administranda & hominum procurationem. Inter Reges, de quibus nobis veterum historiæ loquantur, habemus neminem Salomone prudentiorem, aut illustriorem gloria, & omniũ rerum abundantia & thesauris, quibus propè immensis & extructis circumfluebat, illius tamen

adolescentiæ diuina quædam virtus & auctoritas eluxit, cũ pæne puer ad amplissimum dominatum esset euectus. Qui se deinde cum in diuinæ prouidentiæ cognitionem penitus insinuasset, nó tam alienis præceptis eruditus, quàm sua doctus experientia, grauissimè illud pronunciauit, *Cor Regis in manu Dei esse.* In eadem gente & imperio videmus Iosiam non plus octo fuisse natum annos, cum hominum propè innumerabilium moderandas habenas suscepit. Sed quis ille vir quãtúsque Imperator? quem Sapientis Ecclesiastę prod ita oracula cõmendant, quem inter viros gloriosos & hominũ celebratione prædicandos reponunt, cuius memoriam omni cóncentu Musico suauiorem in omnem æternitatem fore aiunt. Vetera commemoro, quid in Gallia? num desunt impuberes nobis, qui rectores sint Reipub. moderatoréſque ciuium à natura & diuino imperio constituti? Carolum octauum meministis, Auditores, & Ludouicum nonum florem illum totiúſque lumen sanctitatis, quem pio cultu sacris & ceremoniis in æterno cæli domicilio beatum prosequimur. Huius autem in æta-

te puerili moderatio, iudiciíque maturitas & sapientia, eos deinde magna felicitate processus habuit, vt res gestæ beatissimi Ludouici, & sub eo Galliæ regni amplitudo, iisdem propè quibus Solis cursus terminis ac regionibus definirentur. Matrem ille habuit, eximia religione fœminam, prudentia consilióque admirandam, cuius ductu ad omnem honestatis amorem imbutus, factus ad imperandum, multa sanè gloriosissimè & magnificentissimè cōfecit. Nos habemus LVDOVICVM, nos & Blancam, verè Augustam regiæ adolescētiæ moderatricem, quæ veteris etiam gloriam, regēdi prudentia & cōsilio, inobscuratura videatur. In eam sunt omnium animi Gallorum intenti, eius nutum viri Principes, & Dynastæ obseruant, eius numen Prouinciæ omnes vrbésque verentur. Homo doctus & in auctorum monumentis interpretandis cumprimis intelligens, opinor Seruius, ait Thuscos nunquam Regem habuisse. Id verum an non verum sit minimè disputo: at iidem certè Reginas aliis nationibus Augustásque dederunt, de quibus hominum literæ & totius po-

ſteritatis monumenta memoriáq; prodêt. Galli quidem omnium Principem Deum venerari, gratéſque illi quantas animi capere hominum queunt, debent ſoluere, qui in ea funeſta Galliæ nocte tantam lucem & ſplendorem, tantum præſidium, tantum conſilium Sapientiſſimæ Reginæ dedit, cuius virtus & virilis animi conſtantia, ſic cognita fuit hactenus, & in ſummis rebus negotiiſque probata, vt poſt illud mortiferum vulnus, quo vna cum parẽte optimo, Gallia propè omnis extincta fuit, ſine mora Curiæ Senatores, & ampliſsimi conſilij Proceres, eam regni moderatricem, & regiæ pueritiæ cuſtodem renũciarint. Quo tempore dici à me non poteſt, quàm gratus iis in tenebris & fortunæ acerbitate fuerit LVDOVICI conſpectus, cum in Curiam iuit, cum vultum modeſtia inſignem & maieſtate vrbi oſtendit, cum inter Senatus lumina, Solis inſtar, non tam purpura grauiſsimi ordinis, quàm pudore ſuo radiauit. Tum illum omnes non modo in oculis, ſed & in oſculis ſinúque ferre, tum ſperare omnia eius ductu & felicitate meliora, de ſe verò polliceri om-

nia, quæ Ciues boni Regi optimo debent ferúntque. Tum obliti quasi doloris sui Principes, & spectaculi Galliæ vniuersæ luctuosi, in eo naturæ spectaculo defigebantur, & partem infiniti mœroris, qui penitus animum excruciabat, illa indole, ea tanta maiestatis humanitate leuabant. Latinus Pacatus domo Gallus, ingenio clarus, eruditionis Antistes, cum iter Romam instituisset, se beatissimum prędicabat, quod Theodosium videre potuisset, Quæ reuersus, inquit, vrbibus Gallię dispensabo miracula? quantis stupentium populis, quam multo circundabor auditore, cum dixero, *Romam vidi, Theodosium vidi, & vtrumque simul vidi*. O Proceres quos ille Galliæ tutelaris Genius tum hilarauit, Bonum factum, vrbibus Galliarum nunciate, vos Lutetiam vidisse Principem verè vrbiúmque Reginam, LVDOVICVM XIII. vidisse plenum mentis & ardoris paterni hęredem, & vtrumque simul vidisse, hunc nutu sceptróque moderātem, illam studiis officióque venerantem. E Curia in regalem domum est deductus, plenus quidē luctuosi mœroris, propter eam tā


improuisam, tam iniustam & incredibilem calamitatē, sed qui tamē mœrorē omnibus & calamitatē esset erepturus. In paterno solio collocatur, summa Procerum & ordinum omnium consensione: vbi mihi, Auditores, grata quædam & augusta species obuersatur Adolescentis inter lilia stellis aureis longè splendidiora considentis. Lętum caput circùm Sole illuminatur, summísq; honoribus fulgurat, qui in omnes Gallię partes, variè decus & splendorem coniiciunt. Infra pedes sternitur Oceanus ingens bonorum, vnde minuti riuuli exoriuntur atque manant in Nobiles, in vrbes, in prouincias, in finitima regna, in immensum Orientem. Eius latera pulcherrimo instructu ornatúque Diuę cingunt & coronant, hinc Iustitia Lege & Eunomia comitata, Pax inde & bona Copia atque Felicitas. Pone myriades obsecundantium hominum, vitam & salutem à Rege fortunatissimo capientium, qui omnes è veteri acclamationum ritu πολυχρόνιον ingeminant. Supra verò è pleno Stellarum loco, is qui cęlum atque terras tuetur & regit mundi procreator, beneuolentię

aurem suę & diuinitatis impertit, & eadem quę Cyro quondam magno Regi in oraculis Prophetarum benigne pollicetur, *Ego ante ibo & gloriosos terræ humiliabo.* Homunciones in terra noua lætitia delibuti, & his cœli muneribus gestientes exclamant efferúntque *Magnum Iouis incrementum.* O salutare communis Galliæ luctus solatium, Auditores, in quo vno fletus & lamenta conquiescãt! Patria quæ prius in sordibus & squalore volutabatur, in hoc tandẽ iucundo spectaculo erigitur, & oppletũ cinerib⁹ caput attollit, quippe illa Sãctissimi Vatis audire visa, *Excutere de puluere, consurge, induere vestimentis gloriæ tuæ*, nam te LVDOVICVS gemitu & mœrore confectam eriget, hostium fraude armísque impetitam gladio proteget & tropæis ornabit. Quibus igitur verbis quáve oratione prosequemur hoc tantum boni, hoc diuinum ornamentum, hanc Galliæ felicitatem? Nam quod M. Tullius de nocte per quietem vidit Romæ, id meridie in Gallia orbis terræ splendidissimo theatro, singulari voluptate vidimus, Adolescẽtem Iouis imperio delectum ad imperium moderandum, qui

multos prudentia ſenes, conſtantia iuuenes, maieſtate Reges, beatitate Principes, admiranda virtute reliquos anteeat. Qui Cōſtantio in imperio orbis terrę ſucceſsit Chriſtianę religionis deſertor Princeps, ita ſe pingi curauerat, vt Iuppiter tanquam de cœlo apparēs, coronam & purpuram quę ſunt imperij inſignia ipſi præberet, hinc inde Mars & Mercurius in eum intuentes, cum videri vellet & diuinitus lectus ad principatum, conſilio princeps atque Mercurius, Mars in bello & in hoſtibus oppugnandis formidoloſus. Sed homo inſolens & ſtultæ impietatis, nec Deo carus erat cuius numen & religionē violabat, nec in bello fortis & ſtrenuus, qui furore amens in exitium peſtémq; ruebat, nec conſilio Sapiens quem inhumana ſæuiendi libido tranſuerſum agebat. Tibi LODOICE iſta inſignia debebantur, qui ſummo rerū Principi & Gubernatori Deo, qui te Galliæ, Galliam tibi conceſsit, ita carus es & dilectus, vt nec in pace tibi conſilium, nec in bello virtus ſit defutura. Et is quidē ſuperbiſsimus Imperator in Gallia cū eſſet, inuitatum ſe à Genio mentiebatur ad

tur ad imperium omnium Gentium capessendum, te Præsides Galliæ Genij ad maiorum tuorum Principatum vocant, quem tibi iura omnia tum diuina tum humana tribuerunt. Ad hunc certe egregiè instructus & paratus accedis ea indole & plena humanitatis voluntate, hanc mihi tamen veniam dabis & concedes, hic vt ponam quod hominum opinione Sapiens Tito quondam Imperatori aiebat, *Vince Patrem virtutibus, hostes armis.* Si fas foret adderem hoc de meo, Vince & Matrem præstabili in Deum religione, tuenda salute innocentium, animi liberalis munificentia, prudentia, moderatione singulari. Nam tamen si vt Poëta bonus ait *Dos est magna parentum virtus*, tamen Gallia quæ se tibi iam desponsam gloriatur & triumphat, eo contenta nō est, quod cura, quod industria, quod animi regij prouisione augeri potest. Habes tibi deuotas prouincias, obedientes populos, vrbes omni ratione obsecundantes, omnes ordines honori tuo velificātur, tellus paret, cœlum arridet, finitimæ nationes colunt & mirantur. Tibi thura sanctissimis in aris incenduntur, tibi vota sonāt & piorum

hominū precationes, te Semnea & domicilia pietatis, vbi greges hominum sunt castè piéque degentium, parentem agnoscunt. Certè hæc mea IESV Societas meritis quidem & perfectione minima, sed tui ornandi colendíq; voluntate maxima, tui regni felicissima auspicia, votis & religione prosequitur, pióq; studio inflaminata vouet omnia. Eius mecum alumni omnes atq; Socij vno ore animóque pronunciant, quod Amalarius Fortunatus non modo egregiis moribus, sed illustri quondam eruditione ad LVDOVICVM Imperatorem. *Diuo* LVDOVICO *vita, nouo Dauid perennitas nouo Salomoni felicitas, Iudith orthodoxa nobilissima atque prudentissima Augusta salus per multos annos: Lumina pacis Domine serua, lumina mundi Domine serua; Vestra vita tutela omnium est, vestra fides Ecclesiarum est gloria.* DIXI.




IN LVDOVICVM XIII. VERE NEPENTHES Galliæ, & imprimis caræ Lutetiæ magno suo splendore orbatæ solatium.

ANAGRAMMA.

LVDOVICVS BORBONIVS REX.

EX ORBO IVCVNDVS VRBI SOL.



Rba fuit magno deuota Lutetia Sole,
Orbus & augusto tu LODOICE *Patre.*
Ex orbo LODOICE Vrbi iucũdus *ad-s* Sol,
Fisq; Parẽs patriæ qui modo paruus eras.
Haud ergo nunc orbus eris, nõ orba feretur
Vrbs tua, nam patriæ Solque Parénsque tuæ es.

DE EODEM SOSPITATORE GALLIAE ET APOTROPAEO LODOICO.

ANAGRAMMA.

LODOICVS BORBONIVS.


VOS IN DOLORIBVS BEO.

Prosopopœia LODOICI.

QVousque rigida pectus affliges manu
Inhonora planctu Gallia?
Quousque Ciues dabitis exitiô genas
Humente sulcô ductiles?
Me me videte sceptra moderantem mea,
Nouúmque flore lilium.
Demantur atra, planctus in plausus eat,
Vos in doloribus beô.
Pio Parenti mittere inferias pium est,
Tumulúmque rore spargere:
Nati at vigêtem gloriam & partum decus
Fœdare lacrymis, impium.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΛΟΔΟΙΚΟΝ
βασιλέα τὸν ἄνακον σωτῆρα
καὶ χαριδότην.

ἈΡτι ὁμοῦ πελόμεσθα ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ
Σμερδαλέου ῥήγνυσκε κακὴ ἀνέμοιο θύελλα
Νῆα θοὴν, ἀλλ' ὅτ' Ἄτη νεφέεσσι κάλυψε.
Πάντα λύουσα χεὶ πρυμνήσια, αὐτὰρ ἀμύμων
Κάππεσεν εἰς τὰ ῥέεθρα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
Πρωρεὺς κυδάλιμος, μεγαλήτωρ, ἰσόθεος φώς.
Νηῒ δὲ κυβερνήτης νέος ὦρτο, καὶ Ἡρώεσσιν
Εἴκελος, ἡβώων θ' ὃς κύματα πορφύροντα
Θέλγει σκηπανίῳ, καὶ ἴκμενον οὖρον ἵησι.
Αἶψα δὲ ἠελίου φάος αἰγλήεντος ἔλαμψεν
Ἀννέφελός τ' αἴθρη, ἦμος Λοδοΐκος ὀλύμπῳ
Ἀρχιμολῶν στόρεσεν θοῶς μεγακήτεα πόντον.



VATICINIVM APOLLINIS DE LVDOVICO XIII. Rege Galliæ & Nauarræ Optimo Maximo.

VT Rex magnanimus pallẽtia vulnere clausit
Lumina, & vndãti fudit cũ sanguine vitã,
Diriguere omnes, subitúsq; per ima cucurrit
Ossa pauor, latè lacrymis rorantibus vnà
Stillauere Vrbes, & iam clamore supremo
Ardua stelliferi turbarunt sydera mundi.
Tũc etiã Aoniæ per amœna vireta Sorores
Castalias auxere vndas liquentibus aluois,
Pimpleásque domos vlulatibus impleuere.
Delius in medio citharã dum pulsat eburnã,
Et magnos HENRICI *ardet memorare triumphos,*

Audiit

Audiit infanda sorte occubuisse parentem,
Labitur exanimis, cedit color, aurea fronte
Cæsaries turbata umbrat, fluxere corollæ,
Marmorea chelys acta manu, indignantia plangunt
Barbita triste solũ, subitóque innoxia laurus
Aret, & obscœnæ veniũt ad tẽpora vittæ.
Cyrrhæi pia turba chori Phœbíque voluptas
Solatura volat, gelido pars cymbia rore
Plena gerit, pluuiisque rigat gẽmantibus ora,
Pars caput intonsum dextra leuat, auia latè
Et nemora & valles doctis sonuere querelis.
Latoum reuocare student, sed Regis amati
Fatum haurit vires moribundáque membra resoluit.
Nox ruit interea & rubro lauit æquore currum
Obscurus Phaëthon, refugosque per æthera mœrens
Ante horã ciet Alipedes, astra ignea surgũt.
Crebrescunt gemitus, arguta voce Camœnæ
Vaticinũ inclamãt frustra, nõ frigida pulsu
Vena salit, tacito nec funditur halitus ore.
Idem omne simul ardor habet, pérque oppi-

improuiſam, tam iniuſtam & incredibilem calamitatẽ, ſed qui tamẽ mœrorẽ omnibus & calamitatẽ eſſet crepturus. In paterno ſolio collocatur, ſumma Procerum & ordinum omnium conſenſione: vbi mihi, Auditores, grata quædam & auguſta ſpecies obuerſatur Adoleſcentis inter lilia ſtellis aureis longè ſplendidiora conſidentis. Lętum caput circùm Sole illuminatur, ſummíſq; honoribus fulgurat, qui in omnes Gallię partes, variè decus & ſplendorem conijciunt. Infra pedes ſternitur Oceanus ingens bonorum, vnde minuti riuuli exoriuntur atque manant in Nobiles, in vrbes, in prouincias, in finitima regna, in immenſum Orientem. Eius latera pulcherrimo inſtructu ornatúque Diuę cingunt & coronant, hinc Iuſtitia Lege & Eunomia comitata, Pax inde & bona Copia atque Felicitas. Pone myriades obſecundantium hominum, vitam & ſalutem à Rege fortunatiſsimo capientium, qui omnes è veteri acclamationum ritu πολυχρόνιον ingeminant. Supra verò è pleno Stellarum loco, is qui cęlum atque terras tuetur & regit mundi procreator, beneuolentię

aurem ſuę & diuinitatis impertit, & eadem quę Cyro quondam magno Regi in oraculis Prophetarum benigne pollicetur, *Ego ante ibo & glorioſos terræ humiliabo.* Homunciones in terra noua lætitia delibuti, & his cœli muneribus geſtientes exclamant efferúntque *Magnum Iouis incrementum.* O ſalutare communis Galliæ luctus ſolatium, Auditores, in quo vno fletus & lamenta conquieſcãt! Patria quæ prius in ſordibus & ſqualore volutabatur, in hoc tandẽ iucundo ſpectaculo erigitur, & oppletũ cinerib⁹ caput attollit, quippe illa Sãctiſsimi Vatis audire viſa, *Excutere de puluere, conſurge, induere veſtimentis gloriæ tuæ*, nam te LVDOVICVS gemitu & mœrore confectam eriget, hoſtium fraude armiſque impetitam gladio proteget & tropæis ornabit. Quibus igitur verbis quáve oratione proſequemur hoc tantum boni, hoc diuinum ornamentum, hanc Galliæ felicitatem? Nam quod M. Tullius de nocte per quietem vidit Romæ, id meridie in Gallia orbis terræ ſplendidiſsimo theatro, ſingulari voluptate vidimus, Adoleſcẽtem Iouis imperio delectum ad imperium moderandum, qui

multos prudentia ſenes, conſtantia iuuenes, maieſtate Reges, beatitate Principes, admiranda virtute reliquos anteeat. Qui Cõſtantio in imperio orbis terrę ſucceſsit Chriſtianę religionis deſertor Princeps, ita ſe pingi curauerat, vt Iuppiter tanquam de cœlo apparẽs, coronam & purpuram quę ſunt imperij inſignia ipſi præberet, hinc inde Mars & Mercurius in eum intuentes, cum videri vellet & diuinitus lectus ad principatum, conſilio princeps atque Mercurius, Mars in bello & in hoſtibus oppugnandis formidoloſus. Sed homo inſolens & ſtultæ impietatis, nec Deo carus erat cuius numen & religionẽ violabat, nec in bello fortis & ſtrenuus, qui furore amens in exitium peſtẽmq; ruebat, nec conſilio Sapiens quem inhumana ſæuiendi libido tranſuerſum agebat. Tibi LODOICE iſta inſignia debebantur, qui ſummo rerũ Principi & Gubernatori Deo, qui te Galliæ, Galliam tibi conceſsit, ita carus es & dilectus, vt nec in pace tibi conſilium, nec in bello virtus ſit defutura. Et is quidẽ ſuperbiſsimus Imperator in Gallia cũ eſſet, inuitatum ſe à Genio mentiebatur ad

tur ad imperium omnium Gentium capessendum, te Præsides Galliæ Genij ad maiorum tuorum Principatum vocant, quem tibi iura omnia tum diuina tum humana tribuerunt. Ad hunc certè egregiè instructus & paratus accedis ea indole & plena humanitatis voluntate, hanc mihi tamen veniam dabis & concedes, hic vt ponam quod hominum opinione Sapiens Tito quondam Imperatori aiebat, *Vince Patrem virtutibus, hostes armis.* Si fas foret adderem hoc de meo, Vince & Matrem præstabili in Deum religione, tuenda salute innocentium, animi liberalis munificentia, prudentia, moderatione singulari. Nam tamen si vt Poëta bonus ait *Dos est magna parentum virtus*, tamen Gallia quæ se tibi iam desponsam gloriatur & triumphat, eo contenta nō est, quod cura, quod industria, quod animi regij prouisione augeri potest. Habes tibi deuotas prouincias, obedientes populos, vrbes omni ratione obsecundantes, omnes ordines honori tuo velificātur, tellus paret, cœlum arridet, finitimæ nationes colunt & mirantur. Tibi thura sanctissimis in aris incenduntur, tibi vota sonāt & piorum

hominũ precationes, te Semnea & domicilia pietatis, vbi greges hominum sunt castè piéque degentium, parentem agnoscunt. Certè hæc mea IESV Societas meritis quidem & perfectione minima, sed tui ornandi colendíq; voluntate maxima, tui regni felicissima auspicia, votis & religione prosequitur, pióq; studio inflammata vouet omnia. Eius mecum alumni omnes atq; Socij vno ore animóque pronunciant, quod Amalarius Fortunatus non modo egregiis moribus, sed illustri quondam eruditione ad LVDOVICVM Imperatorem. *Diuo* LVDOVICO *vita, nouo Dauid perennitas nouo Salomoni felicitas, Iudith orthodoxa nobilissima atque prudentissima Augusta salus per multos annos: Lumina pacis Domine serua, lumina mundi Domine serua; Vestra vita tutela omnium est; vestra fides Ecclesiarum est gloria.* DIXI.




IN LVDOVICVM XIII. VERE NEPENTHES Galliæ, & imprimis caræ Lutetiæ magno suo splendore orbatæ solatium.

ANAGRAMMA.

LVDOVICVS BORBONIVS REX.

REX ORBO IVCVNDVS VRBI SOL.



Rba fuit magno denota Lutetia Sole,
Orbus & augusto tu LODOICE *Patre.*
Ex orbo LODOICE Vrbi iucũdus ad-s Sol,
Fisq; Parẽs patriæ qui modo paruus eras.
Haud ergo nunc orbus eris, nõ orba feretur
Vrbs tua, nam patriæ Solque Paréńsque tuæ es.

DE EODEM SOSPITATORE GALLIAE ET APOTROPAEO LODOICO.


ANAGRAMMA.

LODOICVS BORBONIVS.

VOS IN DOLORIBVS BEO.

Prosopopœia LODOICI.

Qvousque rigida pectus affliges manu
Inhonora planctu Gallia?
Quousque Ciues dabitis exitiō genas
Humente sulcō ductiles?
Me me videte sceptra moderantem mea,
Nouúmque flore lilium.
Demantur atra, planctus in plausus eat,
Vos in doloribus beō.
Pio Parenti mittere inferias pium est,
Tumulúmque rore spargere:
Nati at vigentem gloriam & partum decus
Fœdare lacrymis, impium.



ΕΙΣ ΤΟΝ ΛΟΔΟΙΚΟΝ
βασιλέα τὸν ἄνακον σωτῆρα
καὶ χαριδότην.

Ἄρποτ' ὁμοῦ πελόμεσθα ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ
Σμερδαλέον ῥήγνυσκε κακὴ ἀνέμοιο θύελλα
Νῆα θοήν, ἀλλὰ ὅτι Ἄτη νεφέεσσι κάλυψε
Πάντα λύουσα καὶ πρυμνήσια, αὐτὰρ ἀμύμων
Κάππεσεν εἰς τὰ ῥέεθρα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
Πρωρεὺς κυδάλιμος, μεγαλήτωρ, ἰσόθεος φώς.
Νῦν δὲ κυβερνήτης νέος ὤρτο, καὶ Ἡρώεσσιν
Εἴκελος, ἡβώων θ' ὃς κύματα πορφύροντα
Θέλγει σκηπανίῳ, καὶ ἴκμενον οὖρον ἵησι.
Αἶψα δὲ ἠελίου φάος αἰγλήεντος ἔλαμψεν
Ἀνέφελός τ' αἴθρη, ἦμος Λοδοΐκος ὀλύμπῳ
Ἀγχιμολὼν στόρεσεν θεῖος μεγακήτεα πόντον.

Νηὸς δ' ἄρα ποντοπόρος πάλιν φορέουσα ἐπ' αὖραι
Πραϋμέτη γαλόωσα ἀγάλλεται ἐν Διὸς οὔρῳ
Καὶ ἐρατὸν βασιλῆι νέον παιήονα μέλπει.


IDEM LATINE.

IN REGEM LVDOVICVM SÆVA IN TEMPESTATE Castorem lætitiæque fontem.

NVper cærulei tranauimus æquora ponti,
Quassauit celerem vento stridēte procella
Gallorum violenta ratem, cum nubibus Ate
Obduxit pelagus, rupitque insana rudentes.
Rector magnanimus, Diuum genus, inclytus Heros,
Heu! fato indigno, spumantibus incidit undis.

Ecce Gubernator Diuis cælestibus æquus
Francigenis nouus exoritur, qui turbida mulcet
Æquora, & undantes sceptro moderante procellas,
Linteáq; inspirat sinuata ferentibus Euris.
*Nam simul aduenien*s LODOICVS *ab æthere fulsit,*
Auratum per inane iubar Titania lampas
Extulit, & glaucis micuit sine nubibus æther,
Æquatóque salo Neptunia monstra quierunt.
Ipsa ferẽs patriam, portúsq; inuecta serenos
Hac aurâ, hoc tanto exultat Rectore carina,
Et lætum pæana canens, super æthera tollit
Purpureum Iuuenẽ Sceptriq; potẽtis honores.





VATICINIVM APOLLINIS DE LVDOVICO XIII. Rege Galliæ & Nauarræ Optimo Maximo.

VT Rex magnanimus pallētia vulnere clausit
Lumina, & vndāti fudit cū sanguine vitā,
Diriguere omnes, subitúsq; per ima cucurrit
Ossa pauor, latè lacrymis rorantibus vnà
Stillauere Vrbes, & iam clamore supremo
Ardua stelliferi turbarunt sydera mundi.
Tūc etiā Aoniæ per amœna vireta Sorores
Castalias auxere vndas liquentibus aluois,
Pimpleásque domos vlulatibus impleuere.
Delius in medio citharā dum pulsat eburnā,
Et magnos HENRICI *ardet memorare triumphos,*

Audiit

Audiit infanda ſorte occubuiſſe parentem,
Labitur exanimis, cedit color, aurea frontẽ
Cæſaries turbata vmbrat, fluxere corollæ,
Marmorea chelys acta manu, indignantia plangunt
Barbita triſte ſolũ, ſubitóque innoxia laurus
Aret, & obſcœnæ veniũt ad tẽpora vittæ.
Cyrrhæi pia turba chori Phœbique voluptas
Solatura volat, gelido pars cymbia rore
Plena gerit, pluuiiſque rigat gẽmantibus ora,
Pars caput intonſum dextra leuat, auia latè
Et nemora & valles doctis ſonuere querelis.
Latoum reuocare ſtudent, ſed Regis amati
Fatum haurit vires moribundáque membra reſoluit.
Nox ruit interea & rubro lauit æquore currum
Obſcurus Phaëthon, refugoſque per æthera mœrens
Ante horã ciet Alipedes, aſtra ignea ſurgũt.
Crebreſcunt gemitus, arguta voce Camœnæ
Vaticiniũ inclamãt fruſtra, nõ frigida pulſu
Vena ſalit, tacito nec funditur halitus ore.
Idem omne ſimul ardor habet, pérque oppi-

da mœsti
Francigenæ querulis singultibus ilia pulsant.
Et iam pallentes cælo dimouerat vmbras
Tithoni matrona senis, cum regia stipant
Atria purpurei Proceres, cogique Senatum
Regni cura monet Themidosque recludere templa.
Ducitur actutum magnæ spes alta coronæ
Et mora fatorum LODOICVS, & intima quamuis
Vrat corda dolor roseosque emaceret artus,
Exhilarãt tamen ora suos, atq; aurea ceruix
Digna Deo, magniq; nitet Genitoris imago.
Continuo auditæ per aperta palatia voces
Viuat io LODOICVS io, fulgentiáq; auro
Sceptra ferat, ditétque nouo sua lilia flore,
Viuat io. Populi ferit aurea sydera clamor,
Atque polus responsat io. Qua voce precantum
Et plausu, caput attollit rediuiuus Apollo
Vt si membra leuet dulci exaturata sopore.
Purpureus subit ora color, vis viuida pectus
Inque toros sese insinuat, discriminat arte
Cæsariem comitque manu, textúmq; corona

Gemmiferæ, & magnis laurum ceruicibus aptat.
Attonitæ stupuere Deæ, capit aurea Phœbus
Plectra volẽs, nisuq; omnes in pectora vires
Aduocat, exundant tacitæ sacraria mentis
Ebullitque sinus magnoque exæstuat ausu.
Ter digitis tentat citharam, ter clausira profundi
Gutturis intremuere, ingẽtia gaudia certant
Vnà exire, micãt trepidis corda ignea fibris.
Tum sic pauca loqui, doctisque oracula fatis
Prodere Francigenũ casusq; aperire futuros.
O diuine Puer! quæ te flammãtibus astris
Detulit in terras meliori stamine Parca?
Vnde iubar nocte in media? quis ab æthere fulgor
Emicat, Eoo velut aureus æquore Titan?
Eloquar an sileam? Vos auscultate Sorores,
Primáq; Mnemosyne dictis aduertito mentẽ:
Fata Panõpheus dictat mihi; fata Camœnæ
Vos Gallis memorate. Venit labẽtibus annis
Aurea progenies, Diuũ genus acre potentũ
Sãguine Borbonio, quã Rex olim ætheris alti
Affore pollicitus, iam nũc dedit, aurea surgũt

Incrementa Iouis, queis se super æthera tollet
Gallia, & imperij metas signabit Olympo.
Cerno triumphatas dextra bellãte phalãges
Herois libare pedum vestigia: mille,
Mille enses, clypeiq;, & mille volãtia signa,
Loricæq; graues, mixtæq; vmbonibus hastæ,
Mille arcus, pharetræque, Securiferæque sarissæ,
Et mille horrificis tormẽta sonantia bombis,
Teláque, sanguineæq; iubæ, radijq; rotarum,
Falcatique axes, euulsaque rostra carinis,
Vestibulũ ante ipsum Luparæq; palatia celsæ
Pendebunt, laurusq; fores vmbrabit ouantes.
Si quãdo arma ferox insano Marte rebellis
Ius cõtra Regémq; ferat, pede colla tumentũ
Magnanimo premet insultans LODOICVS, *& inter*
Victor aget currus confusæ stragis aceruos.
Quin si fata sinant odioque elata superbo
Impietas, pacatus erit, Ianúmque sonorum
Claustris centũ æreis cẽtenoq; obice claudet:
Fulmineum miti gladium præcinget oliua
Imperioq; bon⁹ placidas moderabitur vrbes.
Hoc duce nectareæ passim baccheia vites

Vina dabũt, frangétque vrgens plena horrea
messis.
Purpureas sentes violas, & dulcia quercus
Mella ferent, lactisq; vndabũt flumine riui.
Nã patriã pax alta manet, Pandora colonos
Vberibus ditabit agris, facilisque tributa
Imminuet pietas placidique opulentia regni.
Hoc duce purpureis euecta iugalibus vrbes
Viset sacra Themis legésque & iura tonabit.
Eunomia in stygias scelus exitiale paludes,
Inque orcum fraudem & scelerata piacula
mittet.
Non premet innocuos iniusta lance maligni
Iudicis impietas odioue vrgebit aperto.
Hoc duce Relligio Capitoli immobile pign⁹,
Romanos induta sinus triplicémque tiaram
Oppida tota colet, ritúsque inducet auorum.
Hoc duce Pegasides curru volitabitis aureo
Quiq; pri⁹ fuit altus honor, iã crescet honore
Hoc sub Rege, nouo, famáq; euincet olympũ.
Quippe artes LODOICVS *amat, studi-*
úmque, sophósque,
Haud magno Genitore minor. Num ludit
amantem

Me pietas? etenim Claro *de* Monte *frequentes*
En video volitare choros, doctámq; iuuẽtam
Et reduces magno imperio ſudare Magiſtros.
Occidat ô! ſerpens maculoſus terga veneno,
Cui liuent oculi, puténtq; in gutture dentes:
Occidat, atque iterum domito Pythone laborent
Phœbeæ de more lyræ, guttáque perenni
Florentes Gallorũ hortos riget Hippocrene.
Aggredere o magnos pollens Puer inde parentes
Exuperare tuos, niueáque exurgere penna
Quæ te tollat humo diuũq; adiungat honori.
Blanca iterum LODOICVM *annis puerilibus ardet*
Exercere polo ſceptroque aptare potenti.
Ipſe Patris Genius ſpectantibus æthere Diuis
Grandia ſceptra monet patriaque capeſſere clauum.
Aggredere o magnos pollẽs Puer inde labores.
Lilia cana vocãt quæ bruma nocẽtibus auris
Attigit heu! nuper, nimbúſque emiſſus Auerno.

Tu patriæ columen, tu spes animosa nepotum:
Ecce tibi Charites multis è millibus vnam
Insignẽ facie & præstanti pectore Nymphã
Despondent, quam lectus Hymen fœcundet, & orbi
Borboniam æternet gentẽ: ferat illa coronã
O subito, nectátq; tuæ, magnisq; Hymenæis
Dulcia solicitæ coeant in fœdera gentes.
Aggredere o magnos Heroũ sanguis honores:
Ecce Deum Genitor conuexa per aurea dextram
Porrigit, & meritos solio stellante triũphos
Iam numerat LODOICI, *& sceptra potentia firmat.*
Impluet in terras gazæ rutilantis aceruos,
Surgentésque tibi laurus, populosque beabit
Te propter, subdétque piis conatibus orbem.
Iam Reges stupuere tuam LODOICE *coronam,*
Barbaricæ tremuere acies, teque orbis Eous
Hesperiúsque simul prona ceruice verentur.
Aggredere ô magnos Heroũ sanguis honores.
Dixerat, atq; oculos paulũ tellure moratus,
O decus ætherenm! liceat tua dicere facta

Quondam, ait, ô liceat! Celeres properate
Camœnæ
Aut maiore tuba aut pulsu testudinis aureæ
Tollere sydereos mirandi Regis honores.
Huic tripodas sacrate nouos, atque aurea
fila,
Vocalésque undas, Aganippeosque recessus.
Viuat io LODOICVS *io, pollénsq; beatusque*
Aurea Nestorea transcendat sæcula vitæ.




IN ANNIVERSARIO FVNERIS DIE.

De multiplici felicitate quæ mirabilem HENRICI Magni vitam illuſtrauit.

In eodem Collegio Rhedonenſi Societatis IESV.

ANNO CIↃ.IↃ.XI.

Dd



LECTORI B.

EN iterum leuibus se tollit in aëra pennis,
Et vastum molitur iter per inane Thalia,
Dum relegit magni vestigia nota Parentis.
Ah vereor ne pondus iners premat ante volantem,
Quàm teneat niuei stellantia limina templi,
Vnde solum adspectat mixtus cælestibus Heros.
Quin sequitur tacitè nebulásque obtendit inanes
Inuidia, atque acres tumido iacit ore cachinnos.
Ire lubet tamen Henriciq; ferentibus auris
Sydereum tentare polum, tu Lector amice
Si te Regis amor, magnæ si mentis imago
Tangit adhuc, meritosque volens impendis honores,
Aspira placidus, timidisq; allabere cœptis.



ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ
Ἐρρίκου τοῦ μεγάλου μετὰ θείων Ἡρώων διάγοντος.

Πρὸς τὴν Γαλλίαν ἀποκαρτεροῦσαν.

Λῆγε τεῆς γοόωσα λύπης, δακρύων τε, στό-
νων τε
Φείδεο ἀχνυμένη, ὦ ποτ' ἀεθλοφόρος.
Μὴ δίζῃς Ἐρρίκον αἰὲν χθόνα βωτιάνειραν,
Ὦ χαρίεσσα πάτρη δύσμορε ἀτυχέης,
Στείχει ἐπουράνιος, λευχειμονέων τε πο-
τᾶται,
Στίλβων, ἀστερόεις ὡς σέλας Ἠελίου,
Γήινα γὰρ δαμάσσας, καὶ ἀλίγκιος Ἡρώ-
εσσι,
Ἀξίως μεγάρων ἔλλαχεν οὐρανίων.

IDEM LATINE.

De Magno Rege HENRICO *cum Diuis Heroibus iam agente.*

Ad Galliam mœrore confectam.

P*Arce tuis lachrymis gemitúſque inhibeto ſonantes,*
Quondam laurigeris Gallia vecta rotis.
Henricum *ne quære tuum tellure ſub ima*
Heu! fato infelix patria victa graui.
Euolat albenti liquidum ſuper æthera pēna,
Vincit & aſtræum luce micante iubar.
Si maior tellure fuit præſtantibus auſis,
Nunc petit æthereas iure colitque domos.



GENIO HENRICI ET ÆTERNÆ MEMORIAE.

CENOTAPHIUM HONORIS.

SISTE HOSPES etiam properans ſiue te vetus Albion ad bellacem Armoricam appellit, ſeu Batauus inſtitor ſies, ſeu Iberus negotiator, ſeu per plana æquoris peruolãtem mittat nouus Orbis in orbã Galliam, hic ſiſte. Regalem cippum vides &

coronam, claritudinis pegma, Libitinæ trophæa? Ne mortuũ hic quæras, neu querare. Cenotaphium eſt honoris vacuum mortalitatis, gloriæ plenum, Memoriæ ſacrarium, Virtutis Semneum, Armoricæ fidei monumentum. Hoc marmor nitens, aurum fulgurans, Caryſtiam cruſtam, ſtellatam Paron, variegatam molem, nobile Mauſoleum, hæc Artificum miracula, manuum decora, acroteria maieſtatis, quæ in vita, vt in Scena, minuti homines mirãtur,

cœlites rident, ego nihili pendo præ choragio quo perfruor, tu ne impensè & opere nimio mirere HOSPES. Oculos in ſublime attolle, méq; mirare potius, miraculũ naturæ magnũ, gloriæ maximum, & (verè dicam) Regem miraculorum. Quid obſtupeſcis? men' à te ignorari quẽ facta produnt, Prouinciæ cõſecrant, orbis terræ nationes venerãtur, hiſtoria canit, Æternitas prædicabit? At HENRICI IV. Manes audis, quem pollens Deus fecit in terris omniũ, præ-

tia Regem, pium Religio ſancta veráq; monſtrarunt. Deſultoria fortuna vtrámque in me pagellam explicuit, enimuero belli aſpera, pacis infida, gloriæ fulgida, adoreæ præmia eodem animo hauſi & concoxi. Sceptrum & coronam in medio poſita ſors primum turbabat, fortuna lacerabat, ambitio trahebat, natura mihi dabat, cælũ reddidit. Plurimos è meis alienos, ex alienis meos, & Sceptro meo auctoratos, vidi hoſtes perijſſent niſi viciſſem: patria dum ſe reddit, ad ſe

redit, & capta, desiit esse captiua: inde nec victa nec vincta, bono Parenti paruit, bona paranti, beatitatem adspiranti. Regna duo possedi, sed animus mihi capax ad trecenta. Templū Iani feliciter clusi, pacem hostibus aut dedi aut extorsi, gladium victorem consecraui, ius perennis triumphi adeptus. Musas in musæa reuocaui, artes asserui, dotaui salarijs, auxi priuilegijs, in stabili sede locaui. Religionem supra regnum & salutem amaui, per me meósq; propagaui.

Pios exulare, impium cen-ſui, IESV nomen honora-ui, eius Societatem omni inuidia maiorẽ dilexi, cor eidem legaui meum, ſplen-didius in aurea cæli domo recepturus, vbi exulto. Cõiugem diuina ſorte da-tam coronatam vidi, Au-guſtam renunciaui, ſobo-lem reliqui. Inuidit Orcus felicitati, parricidam dum furijs animat, me exani-mat, Numen dum me ve-hementer amat, me nunc animat in æternum victu-rum. Si Gallia digna fuiſ-ſet, ni potioribus ego di-

gnus forē, æterno in terris ſolio potiri potuiſſem. Vixi non tam morti maturus quàm cælo, quò me bigæ albæ duxerunt PIETAS & CLEMENTIA, iſta homines, illa Diuos conciliauit, vtráque flammeam arcem aperuit, vbi regnabo, dum Rex ætheris moderabitur. Hoſpes dic benè pijs Manibus, & in rem tuam abi.

In illuſtri Rhedonum loco ponebat
Armoricus.



EMBLEMATA QVIBVS ORNATVM CENOTAPHIVM.

I. EMBL. Iacens Honor pictus sub vrna aurea Regiæ Pyramidis.

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.
SVB CINERIBVS HONOR.

HÆc moles operosa caput super æthera tollit
Digna viro, cui nulla parem dedit aut dabit ætas:
Vrna tenet caros cineres dulcésque Parentis
Relliquias, decus, ô Diuum decus illa virorum!

Stratus Honor recubat ſecliſq; perennibus vrnam
Tutatur, cineríque volens adſpirat honorem.
Nam quantus mundo HENRICVS *dum vita manebat,*
Quantus & auguſto tãgebat vertice cœlũ,
Tantus honos etiam meritum poſt fata ſequetur.

II. EMBL. In dextro latere Cenotaphij.


Mos Romanus expreſſus.

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS

NON SVBES HVIC ORBI.

Ἀποθέωσις.



Omuleos proceres ſi quãdo inſidæ notaſſet
Parca manu, telóque necem implacata tuliſſet,

Mos fuit auguſtam ſublimi educere cœlo
Molem alto inſignem ſolio & flammante corona.
Tunc cum purgatos terreni corporis artus
Luſtraſſet Vulcanus edax, Iouis ales aperto
Æthere cœleſtes animas ſuper aſtra ferebat.
Non Aquila HENRICE, *haud pedibus Iouis armiger vncis*
Te vehit, at Virtus celſa te ſede locauit,
Pe̓rque domos cœli nitidas, pe̓rque atria Diuum
Duxit ouans, & tergeminos ſacrauit honores.
Ia̓mque orbi haud Rex magne ſubes, verum ignea plantis
Aſtra teris, ſubſunt pedibus cœleſtibus orbes.
Aſpira bonus, & votis aſſueſce vocari.


III. EMBL. In ſiniſtro latere Cenotaphij.

HENRICVS *triumphali curru inuehitur per altum coronatus.*

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.
HVBERIBVS I CORONIS.

Conſecratio.



Vrato inuehitur curru, & flammantibus aſtris
Inſerit HENRICVS *non ſine honore caput.*
Palmas dextra tenet, quis enim meruiſſe triumphos
Abnegat? effundunt tempora læta iubar.
Ducunt alipedes Sarrano murice picti,
Hic animus Clemens, *alter erat* Pietas.
I Rex vberibus *diues ſuper aſtra coronis*

I cape

I cape stellanti regia sceptra Polo.
Quos etenim Pietas, quos & clementia ducit.
His patet ætheree ianua clara domus.

VI. EMBL. In auersa parte Cenotaphij.

HENRICVS *Regio cultu inter cœlites, dextra gladium, læua Orbem tenens.*

ANAGRAMMA.

HENRICVS BORBONIVS.

HVIC ORBI BONVS ERIS.

Heroi Indigeti.

D*Iuorum cura Indigetum patet ardua tellus,*
Terráque sydereis Heroas honoribus auget.
O Heros, honor Indigetum, decus addite Diuis,

Atria quem superi capiunt stellantia mũdi
Regnantem, cœlóque vsum meliore corona,
Gallia te spectat, meritosque rependit honores
Orbis, & astrifero tua ponit in æthere sceptra.
Si tuus æterno pacauit munere terras
Victor, fulmineus, stellatus Iaspide mucro,
Dum mortalis adhuc mortalia concutis arma:
Quantum orbi decus ille feret, cum flammeus axe
Fulguret igniuomo mediisque locetur in Astris?
Sis bonus ô HENRICE *orbi Gallosque tuere.*





ORATIO I.

FELICITAS CVM HENRICO NATA, BELLO, TROPHAEIS, *pace, virtutibus admirabiliter aucta.*



I verum est quod magni viri & sapientes quondã asseruerunt, nullum esse animi dolorem tam odiosum & acerbum, quem non temporis longinquitas minuat; ipsa dies postulare iam videbatur, Rhedonenses, vt qui iamdiu in communi Galliæ luctu iacuimus, leuationem aliquando caperemus. Nam vos quidem ante annum fenebribus exequiis & superbissimo apparatu, trib⁹ diebus iustitio indicto, & omnium ordinum frequentia declarauistis, nullam esse prouinciam in Gal-

lia, quæ ex HENRICI Magni fato plus mœroris hauserit, nullam vrbem quæ magnificentius eidem parentarit. Quo tempore huius quoque Gymnasij parietes cùm picturis, tum magna carminum varietate & ornatu circumuestiti, & huius loci muta subsellia oratione celebrata, boni Regis immaturam discessionem occasúmque lugebant. Sophocles poëta summus & publici consilij princeps, aues quasdam in Grecia fuisse ait Meleagridas nominatas, quæ cum die quasi prodita in Indiam euolauissent, ita Meleagrum luctuosa cæde peremptum luxerunt, vt labentes ab oculis guttæ in succinum pretiosum conuerterentur. Sic Musarum doctæ lusciniæ quæ in huius Academiæ sylua inhabitant, non Meleagrum nescio quem vnius belluæ venatione gloriosum, sed HENRICVM omni genere tropæorum affluentem, gemitu lacrymísque prosecutę sunt; è quibus sese efferebant è súccino quasi corollę, & ex omni elegantia ingeniorum, poëtici vniones regiis Manibus sacri, vt videbatis. Sed nec dolor iustissimus ille vester annuo spatio fuit exhaustus, Clarissimi Rhe-

donenses, neque lacrymæ nostræ exaruerũt, quæ vtinam in pyropos, aliaque visenda conuerterentur, quibus regius erga nos amor, aliqua saltem ratione, ornatus fuisse videatur. Tantum enim HENRICO Magno debent omnes, non ij modo qui Gymnasij huius complexu continentur Societatis nostræ homines & instituti, sed quotquot in Gallia vniuersa degunt regiæ beneuolentæ alumni & caritatis, quantum homo homini debere potest. Quo æquius me a vobis audiendũ hodierna die spero, qui pia quadam & honesta fretus cupiditate, in ære alieno veteri atque magno dissoluendo elaborem. Nam si iure Præceptores sapientiæ dicunt, qui momenta officiorum omnium singulari diligentia ponderant, quæ parentibus debeantur πρεσβύτατα esse τῶν χρεῶν, antiquissima debita, neque studijs liberorum vllis, aut beneuolentia æquari posse: nos patriæ non commune modo præsidium atque decus, sed parentem religiosi Ordinis quẽdam & assertorẽ, singulari numinis prouidentia nobis donatum, orbi ac destituti lugemus: cuius ea in nos omnes incredibilia merita

tam incensus tamque insignitus amor, tot beneficia tam diuina fuerũt, vt iure suo queat infinitam grati animi significationem contentionémque repetere. Sed ego sane haud soluendo sum Auguste parens, neque Socii, qui perenni mecum æstu amoris, & dulci recordatione, clarissimæ tuæ bonitatis æterna monumenta venerantur : & optanda nobis foret illa vetus Atheniensium sisachthia, qua præstabili ingenio Solon pauperum inopiæ solitudinique prouidit. Sed Ephesios imitabor cautos & religiosos, qui cũ ære alieno premerentur, in Dianę templum confugiebant, vbi vis creditorum hebescebat. Ita regiæ aram bonitatis, & inusitatam illam humanitatem petam, quæ prope vim numinis & delubri sanctitatem in hominum mentibus beneuolentiáque obtinuit, vbi si quid minus quam par est dixero, tutius inopiam languidæ orationis ieiunitatémque retinebo. Verum enimuero quid tandem eloquar Auditores? aut quò se ardor cupientis animi & efferuescentis, & materiæ suauitudine allecti conijciet? nam volebam de multiplici felicitate verba facere, quæ

mei Regis vitam exornauisset, & incomparabilem reddidisset omniũ gentium literis & oratione celebrandum. At quemadmodum canes venatici ad indagandũ inuestigandúmq; instructi, vt docti homines memorarunt, cum in montem Aetnam venerint, propter copiam abũdantiámque florum, è quibus mirifica vis odoris emanat, hærent & obstupescunt, ea fragrantia, & tacita quadam voluptate recreati; sic in magni HENRICI vitam ingredientem affluentiámque virtutum, gratus odor admirabilum rerum memoriam obturbat meam, neque patitur vt in cœlesti illa vitæ ratione indaganda, nota via communíque vestigio decurram. Non hærebo tamen otiosus, nec incitata meriti amoris contentio frangetur, sed vestra fretus aura beneuolentię Auditores, vestra luce recreatus, quantum hora vacuíque temporis spatium concedet orabo. Vos eam per mihi gratam & iucũdam humanitatem, quam in hoc loco sæpe declarauistis, in HENRICI felicitate audienda hodierna die retinete. Ac mihi qiidem in introitu orationis meę communis quedam obuer-

fatur hominum elegantium & honestissimis in studijs hærentium opinio, qui inter bona quæ hominum præstantissimorũ dignitatẽ ornare solẽt, & gloriam cumulare, sũmo loco ponebant FELICITATEM. Sic enim aiebant quibusdam summis viris ad amplitudinem atque decus, & ad res magnas bene & feliciter administrandas, fuisse diuinitus quandam adiunctã fortunam, quę fecisset, vt illis imperia mandarentur, sępe iidem magnos exercitus administrarent, & ex sui sententia omnia conficerent. Quo in genere eloquentię Romanę princeps gloriosum multis victoriis Scipionem, Marcellum, Maximum, innumerabiles alios, ipsum denique magnum Pompeium reposuit, cuius vnius eximiam felicitatem summa dictionis copia exornabat. Hoc bonum simul cum Imperiorum Ducibus & Dynastis oriri quidam existimauerunt, causámq; in fata retulerunt, quorum aiunt id beneficium, vt non prius vita homines, quàm felicitate potiantur. Sic Mamertinus in Genethliaco Maximiani dicere non dubitauit, cum nascentibus pariter oriri *Pietatem & felicitatem*, & naturalia esse

esse naimorum bona, *præmiáque fatorum*. Id hausisse videbatur è Pythagoręis in magna quondam eruditione dicendíq; subtilitate versatis, qui docebant nullum esse bonum Imperatorem & pręstantem, qui non vinceret *σὺν τ' ἀρετῇ καὶ συντυχίᾳ*, duce Virtute comitéq; Fortuna, eamque ipsam optabilem fortunam seu felicitatem perfectę vitę comitari, quę humanorum sit *πληρότης καὶ συμπλήρωσις* summa quedam absolutióque bonorum. Ego verò Christianis legibus institutus, in HENRICI felicitate predicanda, Veterum fatum & Fortunę vim, bona vestra cum venia repudiabo Auditores, ab antiquis summa religione cultam & honore, quam Sylla superbissimus imperator sic amauit, vt se bonę Fortunę filium, quam Venerem indigitabat, esse gloriaretur. Qui cum bello, Mithridatis copias illustri victoria cecidisset, trophęum clarissimum exędificauit, in quo esset Epigramma Deorum trium nominibus insigne, Martis, Victorię, Veneris: cum significare vellet, eam victoriam quam gloriosissimè reportauisset, nõ modo Marti & pręliorum cõtentioni, verùm etiam

esse Fortunę genio tribuendam. Mecum oculos in Galliam vniuersam, & in Magni HENRICI triumphos, si placet intendite, omnes vias aditúsque occlusos temeritati & Fortunę reperietis, fatúmque eiectum & exclusum: subito autem sese obijciet præstabilissima natura atque indoles bonorum fundamētum, tum regii animi excellentia plena prudentiæ, & chorus omnis admirabilium virtutum, quibus iam inde à principio, tuens omnia atque regens Dei prouidentia, & beneuolentia quædam singularis adiungebatur. Hinc extitit ea felicitas heroicæ vitæ perfectio, regni decus, operū ornamentum, HENRICI bonum, τελειότης virtutum, & cumulus victoriarum, quem miramur, cuius lucem & splendorem dignitatis vix cogitando assequimur & tenemus. Eam ipsam felicitatem si quis velit asseuerare cum HENRICO natam simul effloruisse, meo quidem iudicio nihil dicet quod non viri Sapientis cogitata ratio postulare videatur. Hic mihi sileant Mathematici nefariæ scientiæ duces & præcones vanitatis, qui Ἀγαθὴν τύχην vnde fluat in nascentes bea-

ra felicitas, in quinto ab Horoſcopo ſigno conſtituunt: tollatur ea graduum ſignorúmque differentia, & cogitemus Cœlū ipſum in HENRICVM, ſi quid melius euenire poteſt, copioſiſsimè fudiſſe. Natus eſt regio è genere, ſtirpe nobili, vetere proſapia, inter ſceptra, mediis in coronis, purpuráque honoris, quod vnum tanti fuit habitum apud Veteres, vt bonorum in eo ſummam propè ſitam & locatam exiſtimarent. Nam Euripides quidem regiam Fortunam & dominatum, θεῶν βίον, cœleſtium vitam appellat: apud quem ille nimium appetens & honoris deſiderio inflammatus, non dubitat dicere, ſuper omnes orbiū cœleſtium globos ſe iturum, & telluris abdita viſcera & receſſus, venáſque omnes tentaturū, denique omnia tum diuina tum humana iura violaturum, potiundi regni gratia & beati Principatus, quod acroama tam libenter audiebat Iulius Cæſar, támque probabat, vt ſumma animi voluptate ſępius repeteret. Solon vir ſapiens, delatam ad ſe regiam dominationem recuſauerat, amens à multis & inconſideratus eſt habitus, cum dice-

rent, quemlibet ſanum & intelligẽtem, omnẽ corporis vexationem, acerbitates omnes ſubiturum, dum vel vno tantum die regno Athenarum potiatur. Id nimirum vulgo omnes dignitatis faſtigium arbitrabantur, quo ſi quiſpiam læta Fortuna venire potuiſſet, nihil haberet deinde magnificentius, quo quidem liberet aſcendere. Iam nunc ergo te HENRICE Magne, ſumma cõcordia Parcæ Gratiæque ſalutant, Rege natum, ſummo loco dignum, factum ad imperandum, & hęc tuæ felicitatis auſpicia venerantes, filum aureum pollicẽtur. Zoroaſtrem Bactrianorum Regem eo die quo lucem vidit, ſolutum in riſum ferunt: te naſcente cœlum riſit, terra plauſit, gratulata eſt Cantabria, Gallia geſtiit, Europa appetiit, notauit orbis terrarum. Age verò ab hoc eleganti veſtibulo & magnificentiſsimo introitu, reliquam vitam ineuntes, libero curſu orationis feramur, ſed maxima celeritate, ne nimium vnumquodque intuentes, nimiúmque mirantes diutius immoremur. Hoc ortu clarus atque natalibus pueritiam egit minimè delicatã & in voluptates effuſam, qui-

... us alioqui blandissimis dominis regij vulgo pueri inseruiũt, sed in summa duritie, cultu prope ritúque Spartano, quod ego in parte felicitatis numerandum semper existimaui, cum ad ea grauissima toleranda, quibus deinde fuit appetitus à diuina prouidentia compararetur. Caniculæ exortum calido ardore incensi, diebus fere octo gelidi aquilones antecedunt, Prodromos vocant, quibus aeris inflammatio æstúsq; minuatur: illum æstum incredibilium negotiorum quæ deinde HENRICO pro sceptro & corona bellanti incubuerunt, nescio an viribus vllis immensis & exaggeratis superare potuisset, nisi illa seuerior institutio, & fortis animi exercitationes, vt Prodromi quidam, minuissent casuum vim & acerbitatem. Hinc illa miracula sunt consecuta quæ stupemus, in quibus exhorrescimus, quorum magnitudinem & excellẽtiam vix intuemur, ita sunt in his temporibus inusitata, & à communi hominum ratione modóque recedunt. Nam è scopulis in quibus Regum & Imperatorũ naues fuisse videmus afflictas, HENRICVS feliciter enauigauit, quæ insu-

perabilia videbantur edomuit, quæ fieri posse aliquando nullus in animum induxisset, admirabili felicitate perfecit, ita animi generosi contentionem iam inde a teneris annis ad omnem fortunæ rationem accommodabat. Theocritus Poëta solers & ingeniosus ait Herculem æreum scutum pro cunis habuisse, bellicas manubias Amphitryonis, quas ille Pterelę interfecto clara victoria deripuerat, quo in scuto Ioue digna soboles ab Alcmena parente locata, somnum etiam dulcem & iucundum capiebat. Nimirum hoc significare vir acutissimus voluit, Regum filios, quos fortuna & imperiorum cōditio, ad magna quædam & heroica molienda comparat, illis veluti constantiæ rudimentis asperóque tyrocinio educari. Sic fictis quóq; fabulis doctissimi homines prodiderunt, eundem Herculem magnanimi Herois specimen, in pueritia prima Hydræ prolusisse, cum serpentes a Iunone immissos & incitatos elisit, quod facinus qui reconditas & interiores literas penitus introspiciunt, ad domitam á puero voluptatem retulerunt. Tū sanè, tum HENRICVS iuuenili cor-

ſtantia proludebat, Hydræne dicam an immaniori portento ex omnium laborum importunitate conglutinato? cui magnus veterum Hercules profectò ſuccubuiſſet: ſed in virum inciderat non modo paratum, ſed peritum in omni genere prælia̅di & exercitatum, & vt breui dicam inſuperabilem, quem nulla vis aduerſæ fortunæ debilitaret. Nam vt Typhō ſeu vibratus Ecnephias præcipua nauigantium peſtis & ruina, ſi quando è gelida nube ſæuo ſpiritu & rapida vertigine in Oceanum incubuerit, nō modo antennas atq; malum, verum & ipſa contorta nauigia turbine vehementi comminuit & abſorbet, idem tamē, quod prodigii propè ſimillimum eſt, aceto in aduenientem effuſo, languet & diſsipatur: ſic illæ humanæ vitæ procellæ & tempeſtates, Fortunæ flatu & ſonitu ſæuo incitatæ & efferueſcentes, cum in acrem HENRCI animum incidebant, cadebant, & violenta omnis impreſsio conſtantiæ obiectu molliebatur. Aiebant Lacedæmonii Venerem antea mollem & delicatulam poſtquam Eurotam fluuium nando ſuperaſſet, mitellam eu-

ſtigio ſuam, textum, quaſillum, ſpeculum, aliáque teneritudinis & delitiarum inſtrumenta procul abieciſſe, haſtam manibus clypeúmque ſumpſiſſe, vt eo ornatu ſe Lycurgo viro grauiſsima ſatoríque virtutis offerret. At verè dicám magnanimum Regem qui à primis pænè annis in Eurotam incidiſſet, & perennem laborum fluxum & duriſſimæ inſtitutionis, Venerias puppas, bullatáſque nugas, omnia denique blãditiarum argumenta proieciſſe, ferrum manibus, animo conſtantiam regiúmque ardorem cepiſſe, vt ſeptus animi fortis & inuicti præſidiis & ornatus, Virtuti ſe oſtentaret. Quæ cum illi eadem proponeret, quæ Herculi etiam adoleſcenti vt eſt apud Xenophontem propoſuiſſet, nunquam tamen ſeuerior ille vultus & laborioſa Diuæ ratio deterrere adoleſcentulum potuerunt, ne Virtutem ſuorum conſiliorum ducem & factorum incredibili animi voluptate ſequeretur. His armis cõſtantiæ munitus & circumuallatus, vt Phidiæ ſignum ſimul aſpectum & probatum, ſic ille omnium votis expetitus, celebratus iudiciis, beneuolẽtia exceptus propè incre-

pè incredibili & inusitata, visus est omnium consensione dignissimus qui legiones duceret, qui iure & exercitu præiret, qui imperaret. Cum ætate creuit deinde auctoritas atque animi digna Heroe magnitudo, qua fretus, nihil fuit tam metuẽdum cęteris hominibus, quod ipse horresceret, nihil tam arduũ quod non moliretur, nihil tam difficile aut operosum, quod eo genio & felicitate, non ex animi sui sententia conficeret. Itaque omnes qui se armis tuendos existimabant, spem in eo collocare suam, Galliæ oculi in eum intendi, flos & virtus militaris in eius sinum dignitatis & beneuolentiæ confugere. In funesto Galliæ motu cum HENRICVS tertius præstantissimus Galliæ moderator ab huius vitæ conditione, ad tertiæ coronæ dignitatem & decus euolauisset, eo fato quod vrbes atq; prouinciæ, & finitima regna immaturum & funestum Galliæ iudicauerunt: ad Heroem subito nostrum fortissimæ legiones, & veteranorum copiæ sua studia & totius belli apparatum cõmuni consilio adiunxerũt, quorum preces rerum omnium summam deferentium, impe-

ria videbantur, ita eius gloriæ fruendę cupiditate & desiderio immēso flagrabant. Itaque vt quondam Hercules cū Atlantem liberauisset, tantum pōdus, & variegatam cœlestium orbium machinationem, ipse humeris, & ea torosi corporis firmitate qua vincebat omnes excepit. Ita HENRICVS, vidit subito se laboriosæ dominationis vicarium, inuidiæ mole vt vasti cœli ruina pæne oppressum, vt non magis se coronæ & amplissimæ dignitatis hæredem, quàm laborum & periculorum existimaret. Iam tum erant in armis omnia, & cataphracti vbique milites volitabant, vbique acies durissima conquisitione collectæ, alienæ vrbes, auersa plurimorum studia, multæ abditæ voluntates ad inuidiam tanquam ad Sirenum scopulos adhære scebant, denique in ipsum patrimonium dignitatis multi spe & cupiditate imminebant. Vbi vidit ferocientem vbique Martem, sibiq; omnes ad imperium vias esse obstructas, non dumis & virgultis mediocris inuidiæ, seque tacitè efferentis, sed frequēti delectu armatorum, qui in oppidis firma præsidia statuerant, gladium tangens il-

lum fulmineum, pignus regiæ magnanimitatis & præstantiæ monumentum, Testor, inquit, te mea Gallia, hunc mucronem educere me nunquam voluisse, nisi ad tuam gloriam tuendam amplificandámque dignitatem, in vagina pacatus etiam nunc hæreret, si mei tuíque hostes paterentur. Sed quoniam me ciuiles discordiæ perturbatióque rerum omnium ad bellum vocant, ineamus. Sed ô magne mortalium Præses atque moderator Deus, veniam peto, quęsóque vt tu partem quam ius æquitásque defendit, tua beneuolentia tuearis. Hic quo pede in hunc campum vberem victoriarum, tot palmis laureísque fœcundum, ingrediar Auditores? quod genus orationis tam diuinum, tam vber & abundans reperietur, quod eam segetem gloriæ & maximorum triumphorum explicare posit? Seneca vir Sapiens & summa humanitate aiebat, rerum naturam edidisse C. Caligulam Imperatorem, vt ostēderet, quid summa vitia in summa Fortuna posset; ego verò lectum HENRICVM à diuina prouidentia puto, ad ciuilia bella conficienda, vt ostēderet, quid summa vir-

tus & ſapientia queat, cum ſingulari animi excellentia iuncta ad ſummi Imperatoris abſolutam & perfectam vndique felicitatem. Non obducta Galliȩ vulnera quæ iã diu conſanuerũt, oratione refricabo, nec id ago vt rerũ prȩclarè geſtarum hiſtoriam hic pertexam, quæ annaliũ monumentis cõſignantur, vos Auditores etiam me tacente, inuicti animi fortitudinẽ atque decus poteſtis recordari. Nullũ fuit genus bellorum in quo non eum exercuerit Fortuna imperii Gallicani: portus tuendi, maria nauiganda, propugnandæ vrbes, aut omni præliorum cõtentione oppugnandȩ, liberandæ prouinciæ aut præſidiis muniendæ, exteri eijciendi, ſui reprimẽdi, cœlum pacãdum, ſtabiliendum ſolum, fluctuum agitationes ſuperandȩ. Ternas vidit memorabiles pugnas omnibus copiis viribúſque Imperiorum, ſignis collatis, agminibus conſertis pugnatas, eo duce quinque & triginta armorum cõcurſiones factȩ, quatuor ſupra centum prȩlia fortiter & generoſè commiſſa, eius prȩſentis auſpiciis trecentȩ locorum obſidiones effloruerunt: in quibus omnibus Hen-

RICI virtus lōgè & latè patefacta est, Sapientia duxit, constantia valuit, genius dominatus est, dextra egit, mucro fulsit, arma victricia coruscarunt, ipse terrori omnibus, neminem exhorrescens, omni ratione victor & triumphator. Iulius Cęsar cum Magni Pompei filios bello in Hispania persequeretur, Tellurem aiunt claro prodigio extremam eius victoriam nobilitasse, lauro subito viridantibus foliis in eodem campo excitata, in quo antea lectissimę copię de summa rerum dimicauerant. At HENRICO singulari felicitate bellante, quot fuere cum hostibus pro imperio certamina, tot laurus quasi diuinis prodigiis cœlum misit, tellus educauit, homines protulerunt ad Herois immortalem gloriam testificandā. Itaque statim ac nomē eius fuit eo cursu victoriarum gloriáque celebratum, non tanquam similem aliorum, sed de magnis Heroibus vnū sui mirati sunt, Angli, Belgę, Itali suspexerunt, longè positę nationes diuino propè honore venerarę sunt, Galli amauerunt, deuoans cœlo Victoria coronauit. Neque verò vt Persarum ille mollis Imperator

& effœminatus ſuos in campo acerriſ-
mè dimicantes, è montis aliquo faſti-
gio intuebatur, procul à periculo poſi-
tus, aureáque cinctus corona: illam in-
uictam & inuſitatam animi fortitudi-
nem atque robur vos opinor memini-
ſtis Auditores. Primus in aciem irrum-
pit Vulcaniis armis tectus, hoc eſt ge-
neroſa conſtantia, præítque nobilitati,
& quod in magno Conſtantino, flore
& copia orationis, celebrauit Naza-
rius, *Dum inter ſuos non vult Principatu magis excellere quàm labore, ſimul exercitum monito regit, opere iuuat, incendit exemplo.* Vidimus
multos in Gallia Principes in omni prę-
liorum genere verſatos, qui cũ HEN-
RICO belligeranti occurriſſent, ſi ami-
ci, vt Caſtorem victorię ducem, aut
Mauortem ſuſpiciebant, ſi hoſtes & ini-
mici, exhorreſcebant: & qui propè cã-
po iam exultantes lęta victoria potirẽ-
tur, eius aduentu metu & formidine de-
bilitati fugiebant. Nam vt Adamas iux-
ta Magnetem poſitus, rapere non ſinit
ferrum, & ſi antea fortè rapuiſſet, diri-
pit, & opima veluti pręda gloriatur:
ita quam ſe cumque in partem bellator
egregius tuliſſet, ſpem victorię ſuis da-

bat, hostibus eripiebat. Quare vulgo dici audiebatis, cum in exercitu Henriciano forent multi Principes rei militaris scientia magni, ductores longè fortissimi, spectata constantia milites & Veterani, quorũ fuisset in aliis bellis clara virtus, & animaduersa magnitudo, tamen HENRICVM suis in castris primum fuisse militem, primum Ducem, primum Imperatorẽ, vbique summum, qui omnium aliorum gloriã quadam animi excellentia præstingueret. Smaragdi qui in Attica oriũtur licet grata viriditate oculos impleãt nec satient, tamen in Sole decolores ita fiunt, vt plumbei videantur, ita nostris Galliæ Principibus alioqui generosis, cæterísque in militia Ducibus plumbago frequens oriebatur, cum in hoc Sole pugnarent, & HENRICO in acie cõiungerẽtur. Et vt omnes beatissimi Regis felicitatem agnoscant, ita in media pericula ruebat, vt ea non sentire videretur, sed tollere, semper tutus, & nõ se modo, verum & suos incolumes præstans, cum latum suum illum gladium extulisset vt pauoris amuletum. Homerus Poëta Princeps iudicio acri & li-

mato ſummis viris in periculo poſitis, atque in ore belli & faucibus, aut Mineruam, aut Apollinem, aut Diuos alios fingit aſsiſtere, qui tueãtur & propugnent, & numinis ſui oppoſitu mucrones hoſtiũ & tela retundãt. Scio Panegyriſtã elegantem hominem & ornatũ dicere, in crebro ſermone Galliarũ famáque fuiſſe, magnos quoſdam fulgentéſque exercitus animaduerſos, qui è ſublimi Iouis regia domicilióq; beatorum, diuinitus ſe miſſos gloriarentur, cum Imperator Conſtantinus aduerſus greges impios furentéſque audacia dimicaret. Eas video HENRICI Magni victorias, eos triumphos atque laureas tam ex omni parte mirabiles, ea diſcrimina ſuperata, vt confirmare nõ dubitem, cœleſtes illi adfuiſſe copias & legiones, ad hæc tot & tanta perficienda, cum ea humanis viribus atque opibus fieri non poſſe videantur. Prætereo ſilentio peragratas totius regni prouincias mirabili celeritate, ſic vt illi venti & tempeſtates propè ad nutum imperiúmque obſecundarint, exarmatam nobilitatem regia clementia & humanitate conſtrictam, tot ciuitates in quas

quas iræ Bellonam excierant, ad fidem & tranquillitatem è ferocienti audacia reuocatas: illa quæ consecuta sunt non potentissimi Regis facinora, sed Herois cuiusdã prodigia quo in loco ponemus? Ambianum tam celeriter exigua manu recuperatum, Sedanum regij nominis auctoritate superatum, superbum & altè minax è nubibus Momellianum parere iussum, suspensam Italiam, Germaniam terrore concussam, propensum Belgium, Herculeas columnas pæne eiectas & euersas, nouum orbem nostri Regis felicitate cõmotum, Regna quædam & liberas Ciuitates illius potentiæ blandientes, insolescentem Orientis barbariam & in damna religionis imminentem, HENRICI gloria, & latè sparsa opinione, tardatam, Europam Asiámque pacatã. Hæc cum posteri nostri audient, nõ hîc Quirino augustiorem, non è veteri memoria Indigetem, non è cælo Heroem, supra hominum certè & mortali conditione meliorem sibi animo & cogitatione depingẽt? O belli Ducem omniũ maximum Auditores! O Regem Imperatorũ omnium, & inter Reges Im-

peratoréſque Principem ! fortem ne dicam, an beatum? an beatiſsima conſtantia generoſum, an cœleſti magnanimitate felicem ? quis huic locus, quæ natio tam ferox & numeroſa, quæ diſciplina militaris, quod ſtratagema, quod robur, quæ audacia, qui valli aut directis lateribus foſſæ turréſque, huic denique Thurio Marti & Gradiuo quæ vis quæ clauſtra obſiſtere vnquam potuiſſent? Carneades ea fuit in dicendo vi & copia, vt nihil vnquam ſtabiliendum firmandúmque ſumeret, quod non probaret, nihil refutandum quod non euerteret; ita HENRICVS nullam arcem aut caſtellum, nullam vrbem, tā aut manu aut natura munitam, oppugnandum ſuſcepit, quam non ceperit, nullam ſtudioſius defendendam, quam non robore inuicti animi & regia magnanimitate ſeruarit. Itaque in hunc vnū cadit illud Milonis Crotoniatæ elogium, *Victor ille omnium certaminum obijt:* Sed Milo fortiſsimus Pancratiaſtes lapide Alectorio dicitur vſus, qui in gallinaceorū ventriculis reperitur, apto vt aiunt prœliis & certaminibus ineundis: hic autem virtute vſus, & exaggerati a-

nimi constantia, quæ semper in Galliæ imperij moderatoribus sedem & domicilium habuit, hostium vim potentiámque superauit. At cladem accepit aliquando. quid hoc est? fortè victor illius exercitus aliquãdo repressus, fraus nonnunquam aduersariorum insidiæque valuerunt. Ita est Auditores, & ille ipse Fortunæ flatus imperatoriæ mentis ardorem, & excellentiæ quasi flammam accendit vehementius & incitauit. Neque enim cogitare vllus debet in eo minorem fuisse HENRICI felicitatem, quod non modo illi cum hominibus ferro & audacia munitis, verum etiam & cum ipsa fortuna bellandum fuerit. Imo verò id effatum C. Plinij verissimum esse puto, quod Traianum laudans grauissimè protulit, *Si quid aduersi cadat, summorum* Regum *&* *Imperatorum laudibus atque virtutibus materiem campúmque prosterni, cum secunda felices, aduersa magnos probent.* Quare nõ placet magnæ vir auctoritatis Sophocles & aliis in rebus Sapiens, qui beatos eos definiebat, quibus esset malorum ἄγευστος αἰών, qui Fortunæ varietatem ne primoribus quidem labris gustauissent,

quorum nunquam domus sit concussa diuinitus, qui perpetuò secunda fauoris aura vehantur. Hic mihi Virtuti cāpum sanè exiguum videtur ponere, extra quem lumina illa Vrbium, & imperiorum excludantur, Agamemnon, Hector, Achilles, Alexander, Principes, omnes denique quorum vita maioribus theatris proposita, constantiæ suæ lucem in hæc tempora summa laude propagauit, quorum nomen & memoriam, iam illustrem in ore omnium & scriptorum monumentis, tumulus ipse obruisset, nisi magno animo & elato cum Fortuna certassent. Theseus apud Euripidem grauissime pronunciat, neminem esse hominem immunem à Fortuna, sed ne Deorum quidem inquit vllum, nisi dicta Poëtarum nobis illudunt. Ruit illa sane, dominatur, permutat omnia, & erectos excitatósque animos sæpè debilitat & abiicit

— totúmque per orbem

Fulminat, & cæcus cæca triumphat equis.

Sed illius brutum fulmen & inane, cursum, incitationem, motiones, tot opima spolia de magnis Imperatoribus erepta, Magnus HENRICVS nunquam

exhorruit, cui dominæ cæterorum iam inde à teneris annis dixisse forti & inuicto animo id videtur, quod aduersus Octauij Augusti cupiditatem incensam illam & immensam, Cleopatra olim dicebat, quam cum victam ambitiosus Imperator honestaret, & tractaret indulgentius, & eius incredibili venustate atque opibus currum suum triumphalem ornare vellet, Græce illam pronũciare solitã ferunt, ὀ θριαμβεύσομαι, quam virilis animi constantiam gloriosus deinde Victor est miratus. In tanta vero Fortunæ iactatione, quam Rex meus ciuili bello appetitus necessario sustinuit, cum Victoria ἑτεραλκὴς vt Homerus vocat, in vtramque partem vario tempore volitaret, cum Mars cõmunis & ἀλλοπρόσαλλος ludo insolenti nunc sequeretur, mox insequeretur, modo armis honoraret, aliquãdo oneraret, ecquis HENRICVM demisso animo fractum & afflictum, ægritudine animi cõfectum & desperantem, abiijcientem denique hastas vidit? Comminæus verissimam hanc laudem vt iuratus LVDOVICO Regi Galliæ se da-

turum religiosè profitetur, quod neminem in aduersis rebus æquè sapientem, nullum vnquam in impressione Fortunę tam moderatum in omni vita cognouerit. HENRICVM ille non viderat, cui non dubito quin eo candore animi studióque veritatis, huius rei laudem palmámque tribuisset. Hanc aut illam prouinciam desciuisse nūtiabatur: at virtute inquit vestra, Commilitones, auspicis nostris & alacritate quæratur. Munitę & ornatę pręsidiis ciuitates fraude & insidiis capiebantur, ipse incommoda Fortuna & clade erectior, vi & aperto Marte recuperabat: bellatores aliqui periculi metu aut offensione deserebāt, ille paucos aiebat sufficere animo acres & paratos, ad res magnas tum suscipiēdas, tùm gloriosè faciendas. Tibi igitur magne Princeps & inuicte, tibi omni Fortuna superior HENRICE, qui modo sunt & in Gallia & in toto orbe terrarum animi tui conscij & virtutis, hoc testimoniū laudis merito & lubentes concedent, vix vllum vnquam extitisse, tanta animi excellentia & firmitate, ad omnem Fortunę varietatem eadem cōstantia vultúq;

ſubeundam. Id poſteritas tibi omnis accinet, quod Ennodius Ticinenſis Theodorico Regi Italiæ, magnificentiſsimè in oratione ſua laudans ponebat, *Nunquam animi tui ſtatus aut ſecundarũ rerum tumore elatus eſt, aut dubiis acquieuit.* Denique hoc omnes qui res tuas geſtas & hunc vitę curſum audierint, mecum fatebuntur, te factis multo melius, quã ſcholas omnes loquacium Philoſophorum, Theophraſti languidam illã ſententiam refutaſſe, *Vitam Regi à Fortuna nõ Sapientia.* Atque hęc potentiſsimi Regis clara virtus, cum id curriculũ habuerit tam effuſum ad laudem, tam inſigne triumphis, tam ſparſum vbiq; laureis, & tropęis nobilitatum, dubitari merito poteſt, cariórne ſuis Victor HENRICVS, an hoſtibus, æmulíſque fuerit: Quanquam hoſtes in Gallia quidem nulli eſſe debuerunt, cũ vniuerſis opes, vitam, & ſalutem aut conceſſerit aut ſeruarit. Sed tamen ita cõſtat, omnium animos à bello ad pacem, ab iracundia ad beneuolentiam immutatos, vt eſſet nullus, qui non Regis æternam clementiam & felicitatem, diuorum propè religione conſecratam vellet. Magnus ille

Constantinus qui noua quadam varietate naturæ confusoque temperamento Virtutum, idem & in præliis ferocissimus, & parta securitate mitissimus fuisse dicitur, cum Aquileiam obsideret fortissimis legionibus defensam, vi, manu, virtute, auctoritate, hostes ad deditionem compulit. Quos repentè corripi omnes vincirique mandauit, nô ad supplicium, sed ad vitam, ne si timore conscientiæ diffugerent, conseruari deinde non possent qui seruari noluissent. Cúmque funes catenæque deessent ferreæ, ad tot manus ferocientium militum cohibendas, illi ipsi mortiferi prius rigidíque mucrones, & madentes sanguine gladij, in salutaria vincula sunt implexi, vt curuati obtusique pugiones tuerentur, quos aduersus imperij seruatorem, nihil integri acutíque iuuissent. Sed longè minus illud est, quàm quod noster parens patriæ, & aniti solij moderator effecit, qui cum omnes haberet dedititios, non numellas adhibuit ferreas implexósque mucrones ad desperatorum hominum salutem mitissima pœna stabiliendam, sed amoris illa Vulcania & adamâtina

vincula

vincula iniecit, quibus euestigio scelere exoluti, Clementiæ obstricti, suos gladios prius ad vulnus & impressionem elatos genio HENRICI & placabilitati consecrarunt. Itaque vidimus Principes aliquot & Dynastas, qui vulgi errore impio & subita Reip. conuersione, sanè inuiti rapiebantur, facto reuersionis initio, cum quasi manu datam restim excepissent, chorum instituisse & concordissimæ voluntatis concentum, quo deinde exultantes, compressis ciuilibus discordiis, penitúsq; sublatis, beatum regnum coronarunt. Nam vt est in fabulis cum venti acerrima cõtentione inter se pugnantes & obiecti, nimbo diem eripiente fœdam tempestatem agglomerauerũt, si forte Triton concha insonuerit, Æolus digitis increpuerit, aut Neptunus cœruleo curru prætervectus fulmineum tridentem obstenderit, tum Aquilones tumidis buccis horribilius inuehentes, iras ponunt spiritúsque animoso impetu concitatos, & in vasta Imperatoris sui aula, aut Vlyssis alicuius in vtre placati quiescunt, silet aër, ridet cœlum, fluctuum agitationes & commotiones æ-

quantur, nautæ ad portum lætum celeuma cantantes appellunt. Ita cum flabra ciuilium dissensionum Gallicanum æquor miscerent, & vbique Scylla canibus, & hiatu Charybdis horreret, cum vnda canens, cœlum tonans, terra insolitis motibus agitata perniciē cunctis exitiúmque minaretur, vt primum magnus HENRICVS sydereum caput extulit, & cœlesti Victoriæ curru volans, arcanum instrumentum, è triplici dote animi, Fide, Prudentia, Clemētia compactum, vt Tridentem sacrum ostendit, tum illa bacchans furénsque Martis audacia posuit, tum regij vultus serenitate pulsæ tenebræ, dissipatæque nubes fuerunt, tum cœlo dies, terræ quies, lux animis, pax prouinciis, spes omnibus regni beatissimi restituta. Tūc aurea Lutetiæ nauis olim Principum Thalamegus, quam non quidam è Cilicia piratæ, sed è vicinis nationibus collecti milites spe prope & cupiditate lacerauerant, suum cursum tenuit: tunc etiam aliæ classes aliarum ciuitatum, lectis è naufragio reliquiis, & pristinis armamentis instructæ, sese ad portū blando æquore applicuerunt:

Tum festum vbique celeuma cantatũ, Io triumphe, Magne HENRICE, Cæsar noster, Auguste noster, Imperator noster, Diui te seruent: vincas, valeas, multis annis imperes. Assertor Reip. tuere nos: bene tibi cõmittimus quos seruasti. Et prius fuisti semper dignus imperio, dignus triumphis: felix agas, feliciter imperes. Dictum millies, & quasi ex antiqua formula cõmuni Galliæ voce repetitum. O Gallia! ô Prouinciæ! ô vrbes iam metu vacuæ & nefario tumultu liberatæ! vlláne dies hoc tantum, támque incredibile optimi Regis beneficium obliteret? vlláne rerum monumenta, de cœlesti & inusitata humanitate conticescant? non hunc diem fastis & annalibus, aureis literis mandetis ad perennem felicitatis memoriam, non festum & solennem habeatis, quo regnum tot fessum cladibus, & calamitate vastatum, Rex clemẽs in perpetuum liberauit? Licuit olim Consuli Mamertino Iulianum Imperatorem oratione cohonestanti, summo plausu omnium audientiũ illa dicere, *Iulianus Alemaniam domuit, Iulianus vrbes Galliæ ex fauillis & cineribus excitauit,* quod ab illo di-

ctum gloriosius, quàm verius puto. Nos verè vno ore pronunciemus, HENRICVS sese domuit, ipsam victoriam vicit, iracũdiam superauit, HENRICVS vrbes Galliæ afflictas erexit, in certam perniciem ruentes seruauit, è fauillis & cineribus excitauit. Cum Maximianus Imperator Germaniæ partem suis legionibus domuisset, multi ad eum è media barbaria duces gratulatum venerunt, quorum Esatech omnium Dynastarum facilè Princeps, eburneo sceptro & corona insignis, cum fuisset Romani Ducis opinione commotus, & Imperatoria illa maiestate caperetur, Maximianum cum omni sua gente cõsalutare voluit, victoriæ bono lætitiáq; flagrantem. Cum venisset in conspectũ, identidem popularibus suis ostendebat Imperatorem, vt mortalem in terris Deum, virúmque cœlestem, & diu atque multum, & acerrima contentione intueri iubebat illum vultum, Ioue dignum, & augusti oris venerationem, & obsequia discere, cum ipse primus beneuolentissimè eidem seruiret. O Gallia! moderari mihi nõ possum quin rerum admirabilium nouitate obstũ-

pefactas exclamem ! O felix inquã hoc victore Gallia ! meministi credo illius temporis quod nõ potes obliuisci, cum Rex tuus, vultum illum Clementiæ domicilium & Gratiarum, sudore terso atque militari puluere, lætum & pacatum ostendit, cum tuis vrbibus spem primum, lucem, vitam, & securitatem attulit, qui concursus populorum, ad illum terrarum pacatorem Herculem intuendum? quæ oppidorũ effusiones, quæ gratulationes, quæ acclamationes, quæ studia obsequiáque sunt visa? vllúsne fuit Princeps aut Dynasta, qui non in vita se beatissimum existimaret, si prompti & liberalis animi demissione, suis popularibus, in HENRICO termaximo colẽdo, propitiandóque præiret? Quid tu cara mihi ciuitas Rhedonensis, quibus oculis illum diem vidisti lætissimum, & tibi quidem ad omnem animi voluptatem & remissionem concessum, cum te parens inuisit patriæ, & diuino præsentiæ suæ dono hilarauit? cum proceres tui purpurati sacra Themidis oracula, cum adoreis militaribus clari generosique tui Duces, cum Ciues lauti & honesti

quorum fidem & eximiam voluntatem erga Reges nulla vnquam perfidia violatam, finitimæ gentes nunquam satis laudare potuerunt, obuiam effusi, grato illo regióque spectáculo reficerētur, cum obsequia omnes sua, cum beneuolentiam infinitam, cum studia perenni animorū testificatione proderent. Imperatores olim Romani sic Italiæ ciuitates coloniásque inuisebant, vt Germanorum bullatis ceruicibus, & humeris latis veherentur: at HENRICVM suas prouincias obeuntem, cinctum palmis & olea redimitum, amore omnes in oculis, atque medio in pectore circumferebant. Egredere Pater, da te in publicum, aiebat olim Philippo Alexander è vulnere claudicanti, nam quoties gradum figes, toties tuæ bellicæ laudis & virtutis recordabere. Sic Galliȩ parens HENRICE, tuas ciuitates lustra & illustra, bis tuas, millies tuas, iure, armis, clementia tuas, per te seruatas, per te restitutas & ornatas, nam quoties ingredieris, non poteris non infinitæ humanitatis beneuolentiæque tuæ recordari. Cernes plurimas aut tormento excisas, aut incen-

dio hauſtas, aut ciuium fuga & populatione deſertas, at cernes iis oculis, quibus Dariũ Alexander multis vulneribus confectũ & iacentem vidit, qui non hoſti victo inſultauit, cuius morte bellum maximum & formidoloſiſsimũ terminatum eſſe cõſtabat, ſed cum ſibi regium paludamentum detraxiſſet, nõ ſine miſerationis quodã ſenſu & amoris, in exanguem iniecit. Planè ſic euenit, purpura illa tua, regia comitate & manſuetudine inſignita, protexit vrbes diuturna calamitate exinanitas, & afflictas bello regiones humaniſsimè recreauit. Hic verò Lutetiæ faciem mihi pono ante oculos Auditores, illo die quo victor & triumphans HENRICVS, eius vias ſingulari placabilitate iniuit, quem triumphum magnus olim adumbrauit Conſtantinus, cum ſuperbiſsimo hoſte cõfecto, Romę plauſu & ciuium gratulatione eſt exceptus, quando vt ait Orator Nazarius, nõ quidem acti ante currum vincti duces, at ſoluta inceſsit nobilitas, non externo ab hoſte Lutetia manubias tulit, ac ſeipſam recuperauit, nec prȩda auctior facta eſt, ſed qui omnem opulentiam

exuperat, clarissimum Dominatorem laurea lætum & ouantem excepit. Silentio præteribo quę dixerint quęque fecerint omnes, in ea communi omniũ lætitia & voluptate, quam æternę quietis auctor fundatórque attulisset: ea pompa, tam illustri specie dignitatis, eo triumpho post hominum memoriã pulcherrimo, venit HENRICVS in Luparam sedem augustam regij dominatus, in quo maiores summa laude gloriáque floruissent. Demaratus Corinthius Philippi Regis quondam hospes & familiaris, cum Alexãdrum Susis vrbe maxima regiáque vidisset, parta victoria gloriosum, immenso & incredibili quodam elatus gaudio, lacrymas fudit, tacitę lętitiæ argumenta, cũ diceret, Gręcos qui iam vitã cum morte commutassent, liquida voluptate spoliatos, quod Alexandrum in aurea Darij sede regalíque solio cõsidentem, non vidissent. O legiones per Galliam vniuersam acri & acerba conquisitione delectę! ô Duces! ô fortissimi Centuriones, quos ciuilis iracundiæ turbo, fatalísque Reip. conuersio bellantes euertit, quos in ipso patriæ busto, dolori partium

partium & impotentiæ litantes vita defecit! vos eo nomine puto ego miserrimos & calamitosos, quod prius quam è vitæ statione discederetis, hũc Ducem Regum, & Regem Ducum in auito solio non videritis, gloria plenum & aurea humanitate fulgentem. Illa virtus cœlestium imitatrix, illa dextera fidei consecrata, tela profectò vobis de manibus, & ex animis turbulentos iracundiæ motus excussisset, nunc cum cæteris eius clementiæ alumnis viueretis. Sed quid ego mutos cineres manésq; mortuorum alloquor? Nos, nos Auditores hoc cœli donum, hoc æternæ pignus securitatis, has Europæ delicias triumphales, Iano pridem felicissimè clauso veneremur, beneuolentia & amore prosequamur, omni modo & ratione cohonestemus. Ac mihi quidem tergemini honores, gloriosique laudis tituli, humanis ingeniis excogitati, inferiores longè videntur, quàm vt Regis immensam gloriam, & immortalia beneficia æquare pòssint: sed non est tamen committendum, vt qui eius liberalitate gratiáque viuimus, ingrati illiberalésque moriamur. Cerno animo

Constantinum exoriente adhuc principatu nondum maximum, qualem dies ætásque fecerunt, sed excellentissimæ tamen spei, & inuictæ virtutis Imperatorem, qui cum fuso exterminatóque Maxētio, bello Italiam calamitatísque metu liberauisset, Senatus illi atque Italia Statuam, Scutum, & Coronam, cuncta aurea dedicarunt, vt conscientiæ debitum aliqua ex parte releuarent: quippe vt scriptor illius æui haud ignobilis dixit, sæpe debetur & diuinitati simulacrum, & virtuti Scutum, & Corona pietati. Vos Ecclesiæ proceres & sacrarum ceremoniarū administri, imaginem auream excellentiæ tantæ argumentum, vestræ beneuolentiæ monumentum Regi maximo consecratote: nam illius casta religione stant delubra atque aræ, & his tantis támque insignibus ornamentis hominum studio propè incredibili & augusta veneratione cumulantur. Vos Nobiles atque Patritij militiæ decora, Prouinciarum columina, Scutum aureum in arduo tholo suspendite clarissimum anathema, cōmunis studij voluntatísque testimoniū: nam illius exaggerati animi fortitudo,


eius nomen auctoritásque singularis, verè scutum oppressæ Galliæ fuit trilíxque lorica, quibus armis tecta iãdiu & corroborata, ipsius fati spicula horribilésque impetus sustinuit, hostium vim & furoré elusit, felicissimè triumphauit. Breue quoque si placet elogiũ muneri adiungite, vt omnes qui modo sunt, aut futuri sunt aliquando, non verius Maximum Romani imperij Scutum indigitatum, quam HENRICVM Galliæ triumphantis Clypeum fuisse fateantur. Brasidas fortissimus Imperator, sæuo in prælio, cum valida manus hostium ingrueret, ad omnem omnium impressionem nubémque telorum Scutum opponebat, sed eo traiecto, ferri acie cruentatus fuit, quo deinde vulnere, breui post animam exhalauit. Is moriens & cruore suo perfusus, magnanimo Centurioni quonam fato luctuosissima illa clades euenisset interroganti, *Clypeus* inquit *meus me decepit.* O Gallia sæuis periculis erepta, hoc Rege tuta felix & triumphãs, vllúmne tempus fuit, aut esse queat, quo tali Clypeo fatiscente, læsa doleas, vulneribus vllis pateas, aut extremo te obie-

ctam fato querare? Huic igitur clara & inuicta nobilitas ritè Scutum vt Italia Constantino, in Mnemonis & Euergesię templo consecrabis. At tu ordo infime, tu plebs secura quę tantorum motuum perturbatione fluctuabas, quæ dissipatæ & propè euersę dominationis paulò antè reliquias tenebas, nunc Sceptrum & Coronam habes, & iusti imperij ornamentis Fortunáque regia triumphas. Coronam sed planè auream dica huic Heroi, pio parenti, Regi optimo atque inclyto, ex omnium lapidum elegantia & splendore concinnatam, cuius in luce atque pretio Ariadna suam contemnat, cœlum decus æmuletur. Eam si lubet nominabis ciuicam, vt debitam seruatori, qualem Triumuiris vt Patriæ sospitatoribus datam olim monumenta annalium ferunt. Quanquam quid ego terram intueor, quam HENRICVS sorte vsus meliori despexit? Tu cœlitum magne parens & mũdi gubernator Deus cuius in manu cor magnanimi Regis & clemẽtissimi semper fuit, qui arcanas pietatis motiones animaduertisti, qui florẽtem regiis honoribus, aut oneribus pressum, ad quie-

tis beatiſsimæ locum extuliſti, quod de Dauide Regum mitiſsimo & maximè glorioſo, cœleſtia nobis effata loquuntur, *Pones in capite eius coronam de lapide pretioſo*, quam gloriæ coronam Salomon interpretatur. Magna quidem fuit HENRICI gloria in ſalutari tuo, tuis videlicet clariſsimis beneficiis ſalutem adeptus, in maxima fuit apud ſuos opinione claritatis & magnificētiæ, perge porro, gloriam & magnum decorem imponas ſuper eum, fulgeat purpuræ & ſtellanti ſolio dominetur, liquido gaudio pleno humaniſsimæ voluptatis perennium deliciarum circunfuſus, in ſplendidiſsimo cœtu beatorum, regio tecum & ſingulari beatitudinis honore lætetur.

DIXI.






ORATIO II.

CONTINVATA MAGNI HENRICI FELICITAS.

Heroicæ Virtutes.



Q. METELLVS is qui à rerum geſtarum gloriâ Macedonici nomen tulit, cum Scipio Africanus diem extremum obijſſet, & funere indictiuo Cenſorióque efferretur, ad exequias magni viri cohoneſtandas, filios ſuos miſit triumphalibus ornamentis illuſtres fortunáque beatos, qui etiam à ſuperatis bello nationibus cognomen honoris inſigniáque retuliſſent, Quo tempore Africani memorię atque virtuti amplisſimum laudis teſtimonium commemorabili elogio dedit, *Ite,* inquit, *celebrate exequias, filij, nunquã ciuis ma-*

terio funus videbitis. Quod Romanus ille dixit omnium ore celebratum de claro ciue atque forti, id mihi parens Gallia videtur omnibus, iam ante annum, gemitu & lacrymis occinuisse, Ite Galli, ite mei Rhedonenses cara pignora, fida pectora Regibúsq; deuota, celebrate exequias ea frequentia & apparatu, ea honoris magnificentia qua soletis, nunquam maiori, mihi credite, funebria iusta soluetis. Ita sanè est, Auditores, fuit is HENRICVS, cui plurimę gentes consentiunt, Principem fuisse Regum & Imperatorum qui res populi, & Reipub. dignitatem in Gallia moderati sunt aliquando, neque esse quidquam in regio munere tam magnum, tam cęteris hominibus arduum, tā excellens, in quo non summus fuisse videatur. Annalium scriptor vita & oratione egregiè politus ornatissimúsque Baronius, cum virtutes eximias Caroli Magni consideraret, quas in Gallię vniuersę conspectu, & in oculis exterorum pace bellóque posuisset, *quem*, inquit, meritissimo titulo Magnum vocant, planè *Ter-maximum* ipse iure appellauerim, scilicet Bellica Fortitudi-

ne, Scientia, & Pietate. Iam video populorum omnium consensione Magni titulum fuisse HENRICO iure accómodatum, propter rerum admirabiliũ splendorem, quo superioris cui lumina superauit. Ego verò in eum chorũ maximarum virtutum intuens, quibus Rex meus coronatus fuit & instructus, asserere minimè dubitauerim, non *Ter maximum*, sed millies maximum appellandum esse. Vix enim fuit vnquam ea mediocritate contentus, in qua multi sublimiora desperantes, pulchrum & honestum putant consistere, sed quasi numinis cognationem similitudinémque sentiret, ad quam se duci in placido imperij statu, & ea parta felicitate videbat, ad florem & apicem dignitatis, & regni gloriosi decus, suas omnes cogitationes referebat. Itaque in eum pænè solum, aut certè maximè, conuenire potest elogium quo Eutropius Augustum Imperatorem cohonestauit, quem ait *virum existimatum* non immeritò ex maiori parte *simillimum Deo*, neque enim facilè, inquit, vllus fuit aut in bello felicior, aut in pace moderatior. Et in bello quidem & scientia rei militaris,

propter

propter quam video Augustum, video Carolum illum Magnum quem paulò antè nominaui, doctorum hominum literis & commentatione celebratum, quis HENRICO præstantior vnquam fuit? Caroli pietas iisdem monumentis in cœlum effertur, rectè quidem, nã fuit propagandæ religionis perquã studiosus atque pius, sed tamen ita, vt eum HENRICVS in eo genere proximè imitetur. Iam quod tertium in eo prædicatione tollitur honoris decus Sciẽtia, in Carolo fuit quidem vberior, si adolescentiæ propriam eruditionem spectemus, enimuero in ciuili disciplina, quam Sapientes in Dynastis & Rectoribus Reipub. postulant, ita præstitit meus HENRICVS, vt quem Veteres modo in libris & prudentium hominum disputatione viderũt, ipse moribus vitáque expresserit. Quid cum alia eius animi ornamenta, quod est mihi hodierna die propositum Auditores, cum virtutum aliarum seriem, cũ mentis illa decora proposuero, fueritne vllus tam iniquus rerum æstimator qui non sentiat, eum non modo esse *Magnũ*, quod fatentur omnes, sed *Ter-maximũ*,

aut si quid dici magnificentius queat,
nominandũ? Scio quid aggrediar quid-
ue tentem Auditores, qui pollentis &
diuini Regis clarissimas virtutes expli-
care coner : Iam prouideo reprehen-
siones multorum, qui iudicij imbe-
cillitatem dicentísque infantiam iustè
coarguent, & iactantem se liberius te-
meritatem fastidiosè reijcient & repu-
diabunt. Sed quoniam taciti beneuo-
lentiæ aculei & amoris, in vastum & tã
longè latéque diffusum æquor me inij-
ciunt, sine remis eloquentiæ & impulsu
armísque doctrinarum, vos oro obte-
stórque, Rhedonenses, ne mihi vela de-
negetis, quæ si grata benignitatis ve-
stræ aura sinuentur, spero fore vt iucun-
do & honesto in portu quiescam. Ne-
que vero hic in bellis gerendis quę plu-
rima confecit, inuictam illam magni a-
nimi constantiam & fortitudinem prę-
dicabo, quam rectè vt ego quidem exi-
stimo, grauis Euripides χρηστὸν χαρα-
κτῆρα egregiam notam appellat gene-
rosæ mẽtis atque nobilis. In prima iam
oratione de ea quædam audire potui-
stis, sed timidè & ieiunè pronunciata,
cum rei dignitas & magnitudo vim &

copiam orationis omnem ſuperaret. Sic autem hæret opinor veſtris omnium mentibus, ita fuit in medio ſita & peruulgata apud omnes, nemo vt ſit, qui non facilè intelligat, illa multa & magna quæ meminimus & miramur, nec parari vnquam aut inſtitui, multo minus tam feliciter cōfici ſine robore inuſitato & eximia quadam magnanimitate potuiſſe. Et vt Herois diuinitatem quandam fuiſſe videatis, illa ipſa præſtabilis animi virtus, qua imperia & hic orbis vniuerſus longè fuit inferior, in victrices copias & legiones deriuabatur. Mirum profectò videri debet Henricianas cohortes & victorem illum exercitum, quo videmus portus & maria, & prouincias Galliæ omnes fuiſſe pacatas, exiguo tempore tantum terrarum obire potuiſſe: mirum inquam repertos fuiſſe tāto animo Centuriones atq; Duces, eo ſtudio & alacritate milites, vt Principem omni ratione inuictum, tam vbique promptum & volitantem aſſequerentur. Sed illa HENRICI magnitudo, vigilantia, imperatoria dignitas graui labore feſſos hilarabat, mouebat, rapiebat. Nam quem-

admodum Alexandri cursor Philonides ex Sicyone Elim mille & ducenta stadia nouem diei horis conficiebat, quod eunti, cum Sole iter esset, & arcani syderis vim ad euolandum experiretur: & quemadmodum ad occasum nauigantes breuissimo quãuis die, vincunt tamen longa spatia nauigationis nocturnæ, vt Solem ipsum comitantes, ab eóque adiuti, sic legio illa HENRICI fulminatrix, Galliæ flos robúrque iuuentutis, sic in equis & prælio illi Castores, clarum Ducem vt Solem comitantes, rapiebantur, & in perenni victoriarum cursu volabant. Sed ea vt dixi Martis sanè pulcherrima decora sileamus, vt eius præstantiæ administras comitésque virtutes intueamur. Hic cumprimis lucet mihi maximè HENRICI Prudentia, quam virtutum omnium Ducem ac Reginam viri Sapientes definiunt: est enim velut quidam mentis oculus omnia circunspiciens, quæ præterita sunt diligẽti animaduersione notans, pronidénsque futura & vnumquodque in optimum finem dirigens, in quo inest diuinæ quædam naturæ communio atque societas: quam ob

causam è Platonis sinu atque schola Iamblichus eruditione maximus, aiebat homines prudentiâ θεοειδεῖς diuinæ menti similes euadere. Est huius regiæ virtutis, Auditores, quod tanto ante grauissimè Aristoteles docuit, consilium rectè agitare, omnia quæ sunt in hominum vita & moribus studio prosequenda aut fugienda secernere, adhibere solertiam, à malis bona seiugare, honestè bonis vti, moderari sibi, occasiones prospicere, experientiam habere commodorum atque inutilium, non modo quæ ante pedes sunt, sed lõge posita vi mentis & celeritate prouidere. Non dubito quin hæc omnia quæ ex mente viri Sapientis à me sunt explicata ad HENRICVM tacita cogitatione accommodetis, sicque statuatis, nullum esse prudentiæ munus, in quo non Princeps admirabili quadam ratione præstiterit. Rectè facitis, quod facturus iam eram Auditores: nam quę eius diuina consilia audiebamus? quos nodos quã obscuros & impeditos grauissimorum negotiorum singulari mẽtis acumine, summa facilitate expediebat? in eo cœtu hominum Sapientum,

quos in consilium de summis rebus adhibebat, cum adessent vrbiũ & prouinciarum decora, Themidos lumina, publicæ rei columina, quisquam ne fuit tam à ratione derelictus, tam sui amãs, tam denique amens: qui in cõsilio dando, in abstrusis dubiisque rebus plus se vidisse crederet quam HENRICVM? Qui Astrologiam primi excoluerunt præcellentissimi eruditione Chaldæi, sub Planetis astra esse aiebant numero triginta quę *Deos Consiliarios* nominabãt, quorum media pars supra Horizontem finientémque circulum, pars alia infra terram distributo ordine & arcana motione circumageretur, ad mundi vniuersi bonum, imperiorũ vtilitates, hominum curationem. Ego vero in mei Regis augusto capite vt ornatissimo in cœlo, non triginta, aut aliquo exiguo numero, sed trecentos puto fuisse Consiliarios Deos & splendidissima lumina, quæ in suo cursu essent, nunquã occiderent, nunquam occultarentur, semper de die, sæpe de nocte radios emitterent ad Gallię procurationem totiúsque populi decus & splendorem. Cúmque ab eo admirabilia tot & tanta con-

fecta videamus, dubitare queant intelligentes quique omnia intuentur accuratius, plúsne illius prudentiæ quàm fortitudini, plus industriæ, quàm ferro & armis & inauditæ constantiæ tribuēdùm sit acceptúmque ferendum. Itaque de illo gentium omnium monumēta ferent & prædicabunt, quod Gregorius Nazianzenus elegantissimus in dicendo, idem vita moribúsque sanctissimus de Cóstantio Imperatore scripsit, *Cuius*, inquit, *prudentia maiorem admirationem sui mouebat, quàm manuum vires, & rursum vires maiori admirationi erant, quàm prudentia, atque vtrâque præstantior illustriórque erat pietatis gloria.* Ea certè coniunctio capitis & manuum, operum & consiliorum, rationis & effectionis, prudentiæ & fortitudinis absolutam eam felicitatem exhibuit, quàm HENRICVS in imperio Gallicano non modo parando sed multo magis administrando declarauit. Nam cum plena caligine essent omnia, & tenebrę densę, partes Reip. omnes occupauissent, cum hærerent acuti ille nostri Sapientes, & quasi publico in iudicio sibi *non liquere* profiterentur, Rex magnus eas nubes & obie-

ctam molem negotiorum acie mentis solertiáque penetrabat, modos atque vias rerum agendarum excogitabat ingeniosissimè, quid quamque rem sequeretur acutè videbat, res multo ante quã euenirent vt Tiresias quidam & diuinus præsentiebat. Quod subtilis intelligentiæ bonum & ornamentum sapientiæ, clarissimi Duces & Dynastæ mirantes, judicabant, nostri Herois eam propriã esse commendationem, quam LVDOVICO Regi vndecimo tribuit Cõmineus in laudando vir maximè religiosus & integer, *aptiorem* videri potuisse ea prudẽtia, eo intelligentis animi consilio, ea prouidẽtia, *Ad imperium orbis terræ, quã ad regnum vnũ mediocre administrandum.* Maritimos Æthiopas quaternos oculos ferunt habuisse, sed Rege præditos cuius in fronte oculus vnus fuisset: At ego iure dicam inter omnes nationes, Gallos esse prudentia nobiles & quasi in fronte clarum vnum & splendidum oculũ circunferre, & quod Iamblichus prudentiæ attribuit νοερὸν ὄμμα; sed HENRICVM intelligendi principem quaternos habuisse multo nitore illumi natos; quibus omnia quæ in vitam & hominum

minum conditionem cadere possunt acutè videret, compluriũ rerũ obscuras intelligẽtias enodaret, futura & procul posita singulari mentis agitatione præciperet. Ex ea naturæ bonitate & excellentia diuinitus ad omnem prudentiæ rationem instituta, ea responsa exoriebantur, quæ hostes, quæ amici, quæ Galli, quæ exteri capti admiratione laudabant. Demetrius is qui Magno Alexandro de Græciæ Principibus vnus successit, tantum sibi tribuebat, sua vt dicta nominari vellet oracula, quique eum consulerent, quasi Ammonem aut cortinas Pythij Apollinis adiuisset, sacro & augusto nomine dici Theoros. Non erat ita honoribus elatus aut Fortuna ebrius Rex HENRICVS, vt se hominem esse obliuisceretur, sed tamen ea fuit in eo verborum gratia, is genius admirabilium responsorum, vt effata regiæ mentis & terreni diui oracula dici posse videãtur. Quodque fuit in eo mirabilius, ea ipsa quæ argutè atque subtiliter vt à limato politóque iudicio proferebantur, non erant diuturna exercitatione meditata, nec lucernam scholæ vmbratilis, multo minus

ſcenam atque mimos triuiáque redolebant, ſed natiua ipſa elegantia, ſine puerilibus pigmentis atque fuco ſponte fluētia, vt Attico ſale tincta & lepore Gallicano placebāt. Quæ ſi tantum ſuauitatē habuiſſent gratam auribus, animíſque, ſi duntaxat clarum ſpecimen ingenij liberalis atque indolis præ ſe tuliſſent, non poterant non in eo Rege videri iucunda, qui arcana Veterum atque gnomas, potius agendo quam legēdo audiendóque didiciſſet. At verò ita loqui, ita reſpondere, ita conſilium explicare ſuum de rebus dubiis atque grauiſsimis, vt myrothecia omnium ſapiētum videatur ſub pellibus & tabernaculo militari hauſiſſe, id verò eſt, quod nō modo mea, ſed ne Gallorum quidem omnium eloquentia, pro eo ac meretur efferre, & dicendo ornare poſsit. Itaque non minus in eum, quàm in Vatem Amphiaraum magnum virū atque Sapientem illa conueniunt, quæ ſublimis in cothurno Æſchylus cecinit quondam eleganter. *profundum* ſulcum in pectore ſatum habuiſſe ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα veneranda cōſilia vnde pullulant. Rectè pullulant, nam vt mens ea

vigebat & efflorescebat quotidie magis, sic noua quædam & admirabilia regiæ prudētiæ germina humanitatis succo lita & ingenuitatis, in hominū cognitionem lucémque prodibant. Quid quod in eo memoria, quam Prudentiæ partem doctrina & optimarum artium studiis eruditi esse voluerunt, singularis fuit atque diuina, qua fiebat vt omnium meminisset? vt quemadmodum illi Principi Deo cum tabulis fata ferūtur assistere, sic illi vis diuina quædam seruire videretur, ad ea notanda altéq; menti inurenda quæ ad tanti imperij moderationē valere possunt. Age verò Prudentiæ numeros omnes expleuerit, at durus fortè fuit & austerus, nimium ferox, ab humanitate alienus. Sane humanitas, vt vere quidam ait tam clara in Imperatore quam rara est, nam cum inquit indiuidua felicium pedis sequa sit superbia, vix contigit cuiquam & abundare Fortuna & indigere arrogantia. Sed vos oræ terrarum vltimæ, vos regna, vos Prouinciæ testes hic appello, ad quas HENRICI Magni fama noménque peruenit: vos scitis quod neque ipsa inuidia vnquam negaue-

rit, ſuperioris æui multos Reges & Imperatores ab hoc noſtro, plurimis quidem maximíſque virtutibus, ſed vna imprimis Clementia & placabilitate ſuperatos. Eſt ea virtus, Auditores, regum bonorũ indicium & propria quædã nota vt magnus ait Chryſoſtomus, & rectè *Clementiam decere Principem* in legibus ſuis ponit Imperator: ſed tamen ſi quis in HENRICVM intueatur, hoc donum egregiæ mentis & perfectũ, in cæteris adumbratum, in hoc Heroe verum & expreſſum, & vnius quaſi proprium iudicabit. Vidimus illius victorias præliorum exitu & partium conciliatione terminatas, nullam deinde audacium proſcriptionem, non vltionem veteris iniuriæ, nullam in pace acerbitatem, victoris denique gladium nõ vidimus vagina vacuum & ſtillantem, vt cum Poëta valde bono, Theodoſij facta celebrante, exclamare hic libeat, *Profuit hoc vincente capi.* Quoties vitam & ſalutem iis impertiit, à quibus ſuam appetitam ſciebat? quoties pœnã in præmium, tormenta in torques, numellas in monilia, equuleos in phaleras, tunicam moleſtam in paludamentum, car-

ceres in palatia, inaudita & hac vbere lenitate mutauit? Quoties sceptrum, vt Assuerus ille potens & beatus virgã auream, ad leuandam hominum calamitatem protendit? Audio quid sanctissimus dicat Ambrosius de Theodosio, cum eius laudes suauémque memoriam funebri oratione persequitur, cũ nimirum *beneficium se putasse accipere, cum rogaretur ignoscere*, qui cum haberet, inquit, supra omnes potestatem, quasi parens expostulare malebat, quam quasi Iudex punire. O bone Antistes non Italiæ modo lumen, sed totius religionis decus & ornamentum, clarissimi tui facta Imperatoris, mei Regis comitate & mansuetudine vincũtur: nam Theodosij quidem iracundiæ aculeos vrbes & prouinciæ fuso cruore senserunt, at Henricianum ensem liliis ornatum oleáque redimitum, nullius hominis pœna cruórque maculauit, & tantum abest vt quasi parẽs expostulauerit vnquam, & immane vllius facinus iniuriẹ commemoratione auxerit, vt iudicum sæpe vocem & legum seueritatem, impunitate & commodorum concessione prẹuerterit. Hẹc virtus diuturni

obſes dominatus, omnium beneuolentiam ad patrię hunc parentem adiunxit, hęc ſolium Gallicanum firmauit, hęc coronam immortalitatis gemma inſigni cohoneſtauit. Imperatores olim Romani Fortunam in cubiculis auream, imperij teſſeram cuſtodémque habuerunt: At HENRICVS diuinam Clementiam placabilitatis notis inſignem, & humanitate radiantem habuit, ſolij cuſtodem & ampliſsimę dignitatis. Pudet me tui Valentiniane, ſeniorē appello, de cuius acri acerbóq; nimiū ingenio, multa nobis veterum literæ annaliúmque monumenta loquuntur. Is Auditores vrſas habuiſſe duas dicitur vorandis hominum corporibus aſſuetas, alteram *Micam auream*, alteram *Innocentiam* appellabat, quarum etiam propè cubiculum ſuum caueas poni curauerat, cuſtodéſque adhiberi fidos & diligētes, vt ſi quis rumor perditorum, ſi vel tenuis ſuſpitio maleuolorum excitiſſet, de repētè iuberet homines corripi, feris immanibus exponi, & in cōſpectu, pęne in ipſo aditu cubiculi indigniſsima crudelitate laniari. Remoueantur iſta imperiorum dedecora &

portenta, & regiam HENRICI domum ingrediamur, in cuius aditu Innocentiam verè auream, non ferinam & agreſtem, ſed humaniſsimã & cœleſtem reperiemus, quę non homines inaudita barbarie cruentet, ſed eis vitę vſuram iucundam largiatur. Et Valentinianus quidem ſuam illam Vrſam Innocentiã poſt multas quas eius laniatu cadauerum viderat ſepulturas, vt benè meritã in ſyluas abire iuſsit innoxiam: Noſter autem Rex moderatus & clemens ſuã innocentiam in tuendis ſeruandíſque hominibus iã à prima pueritia cognitã & exercitatam, tantum abeſt vt emiſerit vnquam, alióque relegarit, vt nouum illi in dies ſplendorem adiunxerit, qui omnium intuentiũ oculos animóſque recreabat. Erat C. Caligulæ Imperatori Protogenes quidam crudelitatis adminiſter, nõ hominem diceres, ſed humana in effigie belluam noſtri generis inimicam. Is perpetuo duos libros circunferebat quorum alterum *Gladium*, *Pugionem* alterum nominabat, in quos nimirum iugulandos, certóque exitio deuotos referret. O chartæ regiæ! ô aurei Codicilli! quibus ego vos

nominibus compellabo, in quibus Edi-
cta Amnistiæ, nō mucrone gladiorum,
nec cruento pugione, sed pacatis oleæ
ramis inscribebantur? quorum notas
vniuersæ Galliæ salutares, non Proto-
genes nescio quis alienæ auctor acerbi-
tatis, sed actor suæ lenitatis victor &
triumphator HENRICVS effecerat.
Sed accipite quæso Auditores & vnum
mihi subtilius considerate quod mea
quidem opinione miraculi prodigiíq;
loco haberi debet. Nam cū in eo multa
sint à magnis viris animaduersa quæ
communem aliorum conditionem su-
perare, admirādáque hominum generi
fuisse videantur, tum illud haud postre-
mum iudicarunt, quod cum esset à pri-
mis annis bellicis artibus studiísque
eruditus, cum Martio tubarum cantu
personuissent aures eius, tot annos in
Bellonæ comitatu, inter gladios scutá-
que floruisset, tamen semper quod ma-
gni animi sapientísq; est proprium, pa-
cem bello, ius violentiæ, quietem ar-
mis, iracundiæ moderationē generosa
mentis æquabilitate præferret. Non e-
nim ad perdendas eruendásque ciuita-
tes, non ad homines ferro delendos &
excru-

excruciandos, aut inferendam regionibus vastitatẽ, quæ beatissimæ quondam fuissent, natus erat, sed potius ad ea omnia stabilienda, quæ veterum cõtemptione Principum, aut ciuili tempestate, cõuulsa dissipatáque iacerent. Par ea quidem in re geminúsque Augusto, qui negabat bellum omnino geri vnquam oportere, nisi cum maior spes commodorum, quam periculi metus atque damni ostenderetur. Planè id natura diuináque institutione percepisse videbatur, quod longè antè Philosophorum Coryphæi duo quasi maiorum gentium præceptores Plato & Aristoteles suis Commentariis reliquissent. Qui cum nobis politiam illam describunt excellentem, in qua Virtus felicitásque dominetur, Lacedæmoniorum institutum reprehendunt, quod in scribendis ferendísque legibus, bellum modo spectarint, velut summum Reip. finem, cum in pace totius humanitatis laus consenescat. Belluarum id propriũ est bello & contentione motus animi terminare sui, & nisi morte vel artuum laceratione minimè quiescere, cũ ratio felicissimæ vitæ statum, quo beati

fruuntur, imitetur in terris. Itaque dictum illud aureum HENRICI dum hominum genus erit, vigebit sæculorũ omnium memoria, & doctorum hominum prædicatione literísque feretur, quod tu magne LODOICE, non tam Sceptri quam Virtutum maximarum fortunatus hæres, altè animo si placet tuo inures, vósque Reges & Dynastæ aliarum nationum Domini, vt sapiens acroama lubentes opinor & auidè capietis. Nam eo die quo in augusto Lutetię templo vt totius orbis theatro, fœdus sanctè cum Hispanis coijt, cum regali conuiuio, magnificentissimo apparatu, excepisset vtriusquę regni proceres consilio auctoritate & sapientia facilè primos, cum adesset Florentiæ lumen atque honos Mediceus Cardinalis, & ea frequentia nobilitatis, quam nunquam regia domus olim suo in gremio vidisset, Rex maximus hoc pronuntiauit apophthegma, *Pacem*, inquit, *semper ego dilexi, neque vlla gens vnquam arma mea experietur nisi quæ pacem & humanitatem recusarit.* Quod oraculum pænè dicam sanctissimi templi religione venerandum, pręstabili ingenio viri tum admi-

stantes adamantésque notarunt. Borbonij sanguinis id quidem fuit & gentilitię humanitatis, quam ipse D. Ludouicus altè in posteris figi voluit & propagari. Nam cum filio pręciperet ea quę stylo aureo scribi in adamante meruerunt, inter cętera hoc fuit, *Caueret* diligenter ne vlli Principi Christiano aut Dynastę bellum indiceret, nisi coactus; sic vt imperij dignitas & Gallici nominis existimatio alia ratione constare nō posset. Ex eadem mente videlicet immortali & diuina vterque hausit, & magnus auus LVDOVICVS & ex eadem prosapia nepos HENRICVS, qui profectò dignissimus fuit qui vel semper in pace floreret, aut victor in bello felicissimè triumpharet. Veterū Theologi qui iidem Philosophię duces & veluti satores fuisse dicuntur, in omnium Deorum manibus collocari Musica instrumenta voluerunt, quod nihil esse tam proprium diuinitati, tā congruens & accommodatum existimarent, quam animorum consentientem concordiam & lætam veluti symphoniam inducere. Et ipse Christus vitæ nostræ Deus parénsque libertatis, cū tacita religio-

nis suæ mysteria vulgaret, εἰρηνοποιοὺς pacis & concordiæ conciliatores, diuinæ compotes originis, cœlo ortos, Dei esse filios pronunciauit. Quod mihi quidem semper visum fuit luculentũ esse testimonium dignitatis: & maximè accommodatum ad eam quam suspicio diuturna veneratione HENRICI Magni felicitatem. Nam si Christus Dei filius ex animi sui sententia locutus est, cum pacificos summis laudibus atque verissimis ad naturæ diuinæ communionem extulit, nostrum Heroem fateamur necesse est, cum diuorum cœlestium choro felicitatis opinione iungendum, cuius gratia & præstabili auctoritate factum videmus, vt nó modo Galliæ prouinciæ acerbo odio & inueterato inter se olim dissentientes, verum etiam exteri principatus iiq; summi atque amplissimi, in cócordiam stabilémque pacem coirent. In re communi & peruagata omnium gentium sermonibus mea versatur oratio: meministis enim Auditores, quis fuerit Italiæ status atque conditio superioribus annis, cum qui prius omni genere beneuolentiæ & constanti religione

coniungerentur, nescio quo fato à se inuicem animo & voluntate dissiderēt. Qui tum erant in iis oris Sapientes vsu rerum diuturno periti, cum ingentem molem mali certa intelligentia prouiderent, incredibilem quandam patriæ vexationem, vrbiúmque occasum appropinquare dicebant, nisi Deus omni ratione placatus, suò numine orientia mala prohibuisset. Sed vt primum vox HENRICI audita fuit, & auctoritas summa omnium consensione excepta, tum extincta subito flamma discordiæ offensionísque resedit, compressa odia quæ in apertum exitium mox eruptura videbantur; redintegrata concordia, animi tranquillitati, pax diuina quod aiunt virgula nostri Regis moderatione confecta. Nihil dicam quid sit deinde consecutum, quot insperatæ lætitiæ omnium bonorū animos perfuderint, quot in Italiam vniuersam vtilitates sint profectæ. Hoc vnum dicam, nostrum Regem, si iure antea splendor Galliæ, lumen & ornamentum Europę, præsidium exterorum, securitas suorū, decus, & firmamentum dicebatur, iam esse meritum, vt totius orbis commu-

nes Deliciæ nuncuparetur. Itaque non mirum si eius nomen atque existimatio in Orientem vsque Solem clarissima celebritate gloriáque penetrarit, si gentes atque populi in eo ornando elaborarint, si pro eo ac meretur diuinos & immortales honores decreuerint. Pōtifex sanè Catholicæ religionis moderator communísque omnium parēs, Romę, quam nunc verius lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium nominare licet, quàm cum Cęsari & impietati seruiret, HENRICI Magni effigiem loco amplissimo & ornatissimo ciuitatis collocatam esse voluit, summa populi Romani voluntate, summa consensione exterarum nationum, quarum Legati in eo regio simulachro, insignia maiestatis, decus fidei, & cœlestis atq; inuicti animi singulare monumentum venerabantur. Stat igitur pulcherrima in Vrbe HENRICI ęterna imago lauro cincta tropęísque insignis ad memoriam singularium beneficiorum expressa, digna sanè quę gemmarum pretioso contextu, & è grādium vnionum splendore componeretur, qualem Pompeius splendidissimo

In triumpho, sui effigiem per ciuium ora suorum tulit, e margaritis & Asiæ veteris opulentia ædificatam. Illā quoties popu. Romanus intuebitur, quod nō sine grata Herois memoria fieri potest, toties omnium ordinum cultu & obseruantia religiosam Icada celebrari existimabit. Et olim quidem in Capitolio Clypei ponebantur in quibus eleganter impressæ forent præstātissimorum hominum effigies auro vel argento lucentes, sed ista HENRICI effigies diuiniq; oris simulacrum, erit clypeus antiquæ religionis & Romanæ fidei præsidium, quam viuens moriénsque defensam esse voluit & ornatam. Coronam non pretio magis quam arte nobilem quam Rex noster Clodoueus Petri Manibus auctoritatíque sacrauit, Hormisda sapientissimus Ecclesię gubernator *Regnum* appellauit. Tu Roma illam Principis Gallicani effigiem HENRICI Manibus & æternę memorię sacram, non regnum, sed *Regem* appella, & fatere, eum ipsum cuius plena humanitatis recordatione caperis, in Europa vnum fuisse maximè, cui meritò grauissimo iudicio Princeps terræ

eam dicendi libertatem æquo animo Rex Darius, nec est ausus cum se inferiorem agnosceret, tanti Regis præclaram effigiem, trophæum gloriæ, virtutis monumentum emoliri. Non erit Princeps opinor vllus, aut Imperator tam oblitus sui, tam cõsilij inops, tam confidens & incredibili audacia, tam denique Regis nostri facinorum ignarus & excellentiæ, vt se præferat, vt se iactet immoderatè, & statuam HENRICI cum viderit, eam ex illa sede honoris eruendam, suámque potius collocandam putet. Id si quisquam aliquãdo cogitauisset, Summus ille religionum & ceremoniarum præses ac magister, vel potius omnium populorum iudicia obsisterent & testarentur, Magno regi, qui virtute plurimos anteierit, suũ decus & gloriæ monumentum seruari oportere. Atq; hic mihi venit in mentẽ pietatis & religionis, quam in ipsa adolescentia, etiam in castris medióq; horrore Bellonæ, inter fumos strepitúsque bõbardarum haud obscuram fuisse volunt: quæ cũ fuisset à Catholicis erudita, & illi cœlũ pariter ac solium. & omniũ corda aperuisset, mirum est quan-

tum splendorem ceperit, quantum incrementum, quam stabilem duratione͂, quantam felicitatem. *Nihil est enim quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, nihil quod ita nequeat occasui subiacere quam vera Religio*, vt Ioa͂nes vrbis Romæ Antistes verè & grauiter Iustiniano quondam Imperatori aiebat. Et verò quantæ felicitatis fuisse dixerim, quod prauas de religione opiniones, à maiorum pietate moribúsque dissentientes, generosa mentis inductione cœlestíq; impulsu funditus ab animo repudiarit? Illum ego sanè diem omnibus triumphis & victoriis antepono, cum Religio pulcherrimo instructu cultúq; Romano, lætitia exulta͂s, ea manu qua cœlestis palatij fores aperuerat, capiti regio diadema imponeret, & primum Ecclesiæ filium arctè suauiaretur. Tum nimiru͂ gestie͂s HENRICVS liquidóq; plenus gaudio, illa diuini Sapie͂tis, iure quoda͂ suo pronu͂ciare potuit, *sibi omnia* cu͂ Religione bona, quasi vno cataplo obuenisse, regno pace͂, animo tranquillitatem, liliis splendorem, Galliæ decus, cœlitibus hilaritate͂, Ecclesiæ gaudium, magnum orbi Christiano firma-

mentum. Reges Galliæ qui ſuis olim liliis & coronæ imperatoriam aquilam & diadema iungebant, Caroli Magni instituto, pompa illuſtri & regia, tres coronas ſumere conſueuerunt, ferream vnam Aquiſgrani, Mediolani argenteã, Romæ auream vbi fuit honoris faſtigium. O HENRICE, tu quidem in Herois Valeſij obitu iure & natura dominus regni ampliſsimi renunciatus, coronam induiſti, at ferream, in eo Galliæ tumultu, ſtricto ferro & lucente, vibrantibus haſtis, & vbique furente Bellona: mox argenteam pacatis vrbibus, & prouinciis compoſitis, quæ tuum nomen venerabãtur. Sed profecto ſplẽdidam è margaritis atque auro, mirabili modo confectam coronam, ſyderei pignus regni ſumpſiſti, cum te Roma ſuum agnouit religione filium, maieſtate Patronum. Hic mihi amœbæum ſtudium & ornatum contuemini Auditores; Religio HENRICVM ornauit, HENRICVS Religionem coronauit, quæ victrix & triumphans beatiſsimos deinde curſus habuit, in eo regno, vnde ſibilis & furioſo cõuicio impiorum hominum, paulò antè exterminabatur.

Meminimus Galliæ multos Reges qui summorum Pontificum & ecclesię propugnatione, aut auitę religionis propagatione, suum nomen illustrarint; sed nescio an eorum omnium gloriam pulcherrimis facinoribus HENRICVS Magnus, & hoc genere pietatis officiíque superarit. Qui cum sciret, id quod est scriptum diuinitus à tribus summis Imperatoribus in Edicto Constantinopolitano, eos tantum esse Christianorum & Catholicorũ nomine censendos qui in ea religione versarentur *quã* D. Petrus Romanis tradidisset, & ipse Pontifex vrbis Romæ tueretur, reliquos autem esse dementes væsanósque iudicãdos: in eo semper omni cura studióque elaborauit, vt & summos ornaret Pontifices, & eam ipsam Petri religionem ad nos vsque deriuatam seruaret. Hoc eius pulcherrimum studium & diuinus amor, ita fuit orbi vniuerso cognitus, vt tot pænè in locis, quot sunt prouinciæ regnáque terrarum, clarissima fidei súæ monuměta reliquerit. Roma ipsa dum cincta muris & religione defensa, decus splendorémque suum retinebit, HENRICI illam effigiem

augusti honoris testimonium, suæ beneuolētiæ pignus, inmortalitatis monumentum seruabit. Prædicabit Regis optimi studium in Clementem octauum Ecclesiæ præfectum, cui volens & sponte maxima in negotio Ferrariensi, regni sui opes & potentiam, dexteram, gladium, suam denique suorúmque operam benignissime detulit. Meminerit etiam quod obliuisci non potest illius diei, cum Principem Niuernensem illustrissimum vidit *Paulo* quinto Pontifici Maximo, nomine HENRICI gratulantem, & primi Ecclesiæ filij vota obseruantiámque deferentem. Quod spectaculum non modo lætum populo Romano & iucundum fuit, verum etiam admirabile, cum Dux ille præpotens & magnificus, sui Regis pæne dicam maiestatem omnem, inusitatum Galliæ splendorem, inauditam magnificentiam in Italiam intulisset. Quare non mirum si sanctissimus ille religionis moderator audita potētissimi Regis morte collacrymatus est, & amorem erga illum suum & intimũ beneuolentiæ sensum declarauit: qui etiã in purpuratorum Patrum consessu dicere nō

dubitauit, funestam illam atque nefariam importuni hominis dexterã, quę Parenti patriæ mortem attulisset, grauem securim inflixisse Ecclesię vniuersę, & imprimis sedi Romanę, quę suorum consiliorum duce, glorię administro, & patrono fidei spoliaretur. Sed quid ego peregrinis in prouinciis hęreo, & non in Gallia, vbi Heros signa religionis fixit innumerabilia, non ad exigui prędicationem temporis, sed ad memoriam posteritatis sempiternam? Nam eius ductu atque auspiciis, eius imperio & ardore singulari, maiorum pietas in trecentis Vrbibus, quod ante me viri magni meminerũt, & quid vos numerus conturbat Auditores? nil augendi causa dico, latinè me loqui putatote fide Gallica hoc est vera & contestata, trecentis inquã in locis ab HENRICO Christiana fides posita est, cum antea vel nulla esset, vel squaleret, vt tum mihi accidisse videatur, quod olim à diuino vate pręnunciatum fuit *Lætabitur deserta & inuia & exultabit solitudo & florebit quasi lilium*: Tum enim vrbes & prouincię quasi lilium, vel potius lętis in prouinciis lilium Gallicanum efflo-

tuit, cum Rex bonus ſalutis cupidus & ſtudioſus ſuorum, Rupellam, in Cantabriam, in alia loca viros doctos & egregia vita & moribus Eccleſiaſtas mittebat. Hippocrates facile Medicorum ex omni antiquitate coryphæus, cum futuram peſtilentiam ingenioſè prouidiſſet, diſcipulos ſuos quoſdam probè inſtitutos, ad auxiliandum circa vrbes dimiſit: quod facinus ita exiſtimauerunt Græci omnes humanitate exculti, vt eoſdem quos olim Herculi benemerito honores, vnis ſuffragiis & omniũ conſentienti animorum conſpiratione decernerent. Pono mihi ante oculos ſęuã luem quæ ex veteris diſciplinæ perturbatione, & contemptu religionis, in vltimas oras Galliæ, & florentes antea ciuitates, perfidioſo conatu audacium, multos ante annos irrepſit, quam videbamus graſſari in dies liberius & omnẽ Reip. partem inficere. Hic vero prouida mens & illuſtris in patriam caritas Herois magni glorioſo teſtimonio declarauit, nihil eũ maluiſſe, quã vt tantę peſtilentiæ morbus, non tantum è finibus imperij, ſed è naturæ vniuerſę cancellis eijceretur. Delectos vt dixi ad-

hibuit homines misitque suæ beneuolentiæ vicarios, doctrinis eruditos, sapientia nobiles, egregiis animi ornamentis & virtute illustres, quos putauit Reipub. Christianæ malo tam insito támque exitioso medicinam facere posse. In hoc Sole beneficentiæ & religionis, an non decus & existimatio veterum Heraclidarũ, imo Regũ & Imperatorum omnium splendor intereat necesse est & inobscuretur? Atque hanc eius admirabilem pietatem illa etiam declarant, quod si quem olim perduellem, si emansorem, si quem è castris hęreticorum ad Ecclesiæ sinum & innocentiam fugere animaduerteret, gaudio exultans & incrediblli voluptate in aureas ætheris arces vota mittebat, parentíq; omnium Deo grates in cõmuni sermone fundebat. Sic memini dicere Eusebium qui res gestas Magni Constantini summa fide memorię prodidit, eum multis periculis defunctum & hominum perditorum cõspiratione, gaudio propè incredibili & immenso frui cœpisse, cum videret omnes suæ ditioni parentes trãquillam vitam agere, plenam otij & dignitatis, & imprimis

Christi

Christi religionem magno splendore triumphantem, quam sceptro omni & corona longè potiorem existimabat. Sed habeo quod in hoc præterea genere dicam, quæ mirer commendémque Auditores, quæque eximiam in nobili Rege aduersus Deum caritatem & religionem ostendunt, at verba non habeo, neque vires, neque latera, nec eam orationis copiam & vbertatem, quæ rem tantam pro dignitate exornare queat. Nam sapiens moderator cũ Pastoribus animarum & Antistitibus magnis viris & præsidibus illibatæ sanctitatis, lubens societatem coijsset Ecclesiæ restaurandæ, ornandæ, locupletandæ. Quod ante annos ferè duodecim Archiepiscopo Turonẽsi religiosissimo viro & maximè Sapienti, memorabili elogio significauerat: cuius orationem plenam ardoris & elegantiæ, cum Rex optimus æquis auribus accepisset, *Vos*, inquit, *pro munere vestro incumbite diligenter in eam curam pietatis amplificãdæ, ego meo fungar munere, sic diuersis quasi viis & regionibus in eãdẽ portũ felicitatis Deo duce veniemus.* O cõmemorabilẽ pietatem! ô virtutẽ in ara

æternitatis consecrandam! Constantinus externarum rerum vocabat se Episcopum, quod cum rei sacræ Præsidibus Religionis dignitatem communi cura vigilãtiáque defenderet. Quem te vocem Magne HENRICE qui omniũ vnus Episcoporum prouidentiam es complexus? Ego summa animi demissione te iisdem verbis cõsalutabo, quibus doctus è Gallia Consul Imperatorem Gratianum, Tu nobis *potestate Imperator, virtute Victor Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgẽtia Pater.* Hoc postremum tibi credo Reipub. omnes ordines accommodabũt, sed præsertim Societatis IESV homines quos eiectos & exterminatos, studio pietatis & religionis in tuum regnũ & pristina domicilia reuocasti. Quod diuinum & immortale beneficium ne obteram styli inopia & ieiunitate, hic bona tua venia, grati animi silentio colam & tuebor. Tua maior est gloria non vnicam Ecclesiæ partem, sed vniuersam pietatem esse complexum, quæ te Protectorem agnoscit, tuo præsidio floret, tui nominis sacro splendore gloriatur. Hic

igitur patiere, tibi vt omnes communi animorum consensione dicamus quod Stephanus olim Summus Pontifex Pipino Regi Francorum Christianissimo dicebat, *Vale in Domino Rex benignissime, quia per te sanctæ Dei Ecclesiæ inimici humiliati sunt, & magna lætitia ipsa Dei Ecclesia est releuata: per te benedicitur Deus, pro quo & eius benedictio super te plenius est effusa: gaudium enim vberrimum in vniuersum orbem terrarum intulisti.* Sed quo rapior Auditores? aut quo mea procedet oratio in hoc vasto regiarum virtutum æquore, in quo nulla est ora vltima, in qua dicentis mens & cogitatio quiescat? Tres aut quatuor ea celeritate memoraui quam vidistis, sed aliæ se confertim obijciunt & obtrudunt, & si qua est, industriam meam requirunt. Senior Dionysius qui Siciliæ Principatum obtinuit, cũ filias tres sustulisset, primam indigitari *Virtutem* voluit, alteram *Temperantiam*, tertiam *Iustitiam*, cum tamen eius vita atque mores ab iis virtutibus alieni forent: at HENRICVS nõ paucas nobis genuit, sed omne genus admirabilium virtutum, quibus eius memoria ad omnem

posteritatem propagetur. Itaque mihi venit in mentem propemodum id verum existimare quod Stoici de virtutibus differebant; quidquid nimirum à Sapiente fieret, id ab omni genere virtutis oriri, esse tamen vnam quandam in præstanti quoque facinore, quæ extet atque emineat, & veluti cæterarum splendorem sua luce pręstinguat. Cum enim in Magni HENRICI naturā intueor, aptam vndique atque donis cœlestibus cumulatam, lucent protinus séque efferunt admirabilis quædam animi fortitudo atque Iustitia, temperantia non vulgaris, inaudita bonitas atq; clementia, quæ consertę contextæque sibi cohærent; nec in regiis operibus singula possum distinguere, vt hoc opus magnanimitatis, hoc Clementiæ, istud patientiæ aut moderationis fuisse videatur, sed vnumquodque potius ex omni genere coagmentatum & perfectum. Nam eius animi fortitudo plena fuit humanitatis, humanitas fortitudine insignita, iracundia placabilitate moderata, Clementia grauitate condita, remissio negotiosa, affectiones mo-

do numeróque dimenſæ, quem omnem chorum & concentum, Prudentia vt prælata face ad eximium quendam ſtatum & feliciſsimum ducebat. Homerus ingenioſiſsimus Poëta qui plus vidit quã qui olim bene oculati in omni antiquitate ſtudio literarum & cognitione floruerunt, cum vellet formam quandam excellentiſsimi Regis, omni abſolutione perfectã, in Agamemnone ductore aliorum exprimere, tria quædam de tribus Numinibus ſeligit, quibus ille omnibus antecelluiſſe videatur, quippe qui Iouem oris dignitate referat, & ſplendore oculorum: Martem laterum firmitate: lato pectore Oceani Regem Neptunum. At ſi quis vellet vnus Poëta, aut in dicendo copioſiſsimus orator conquiſitis vndique verbis atque ſententiis, cœleſtẽ HENRICI naturam ante omnium oculos ſubijcere, Diuorũ eſſent dotes euoluẽdę, omnium Regum & Imperatorum & totius antiquitatis ornamenta vnum in locum ſtudioſiſsimè congerenda. Nam ędificator omnium Deus, cum illum Miraculum omnium Regum, &

Regem miraculorum esse vellet, animo impresserat Dauidis placabilitatem & Clementiam, Stirpis inuictę Machabęorum studium pię religionis conseruandę, Magni Constantini felicitatem, Alexandri in belligerãdo alacritatem, Iulij Cęsaris inuictam audaciam, Cyri consilium, Themistoclis ingenium, experientiam Magni Pompeij, Periclis dulcem & pressam eloquentiã, & Reipub. administrandę peritiam. Atque illa decora mentis tot & tanta cum ingenita forent in animo penitus sita & inclusa, foras tamen eminebant, & in regij muneris functione, vt Sileno patefacto, admirabiles quędam formæ, viuæque imagines prodibant. Itaque multos inter proceres, cum in Gallia sint numero propè infiniti, qui specie ipsa vt cum Euripide loquar, digni sunt principatu, exteri tamen aduentores, qui HENRICVM non norant, nullo monitore agnoscebant, ita in vultu diuum imitatrix hęrebat & dominabatur maiestas, ita nostros illos Heroas, non vt Saul ceruice Hebręos torísque humerorum, sed maxima virtutum om-

nium & diuite copia ſuperabat. Neque ingreſſus tandem aliquãdo in Regiam vt in delubrum Honoris & dignitatis, quo Dynaſtarum conatus aſpirant, Virtutem abiecit, quin potius quaſi in curriculum introiſſet glorięque Circum magnitudine infinitum & patentem, ferebatur in dies longius, & non modo hebetiores alios & in curſu molliores, ſed ſe quoque admirabili conſtantia, vincebat. Aiebat Academiæ parens & Homerus Philoſophorum Plato, certos eſſe fines & cancellos vnicuique ciuitati conſtitutos quibus eius felicitas circunſcriberetur, nec æternam eã vrbem eſſe poſſe, ac ne diuturnam quidem, quæ quotidie noua quadam acceſsione creſceret: ſed in vita regia inque iis animi ornamentis quæ magnos viros efficiunt proximóſque diuinitati, negabat HENRICVS terminos eſſe vllos à natura pactos aut excelſi animi inductione, quin ſemper in genere omni virtutis, id ſymbolum clariſsimi Regis vſurpandum exiſtimaret, *Vlterius* contendendum. Itaque ſi iam inde à ſuſceptæ adminiſtrationis initio pius, ſi

clemens & placabilis, si inaudita moderatione animi, si constans in regia fide conseruanda, si iustus, si magnanimus, si patriæ amans & suorum, si religionis auitæ studiosus, nunquam ille splendor virtutum fuit illustrior, quam cum vitam cum morte commutauit. Cum igitur hunc admirabilem ornatũ tamque in oculis omnium positum & illustrem videamus, cum tanta sit nostri sæculi ex omniũ aggregatione bonorum conciliata ab HENRICO felicitas, cum Gallici imperij dignitas atque splendor, inuicti Regis auctoritate ac nomine summa gloria propagetur, quibus verbis hic exclamem Auditores? quę digna satis elogia reperiam aut honoris compellationes, quibus hęc tãta Regis mei virtus pro meritis ornata fuisse videatur? Lacones cum insigni dignitate viros, qui de patria déque ciuibus bene meriti fuissent aliquando, oratione cohonestare vellent, eos θείους Deos seu diuinos homines appellabãt, vt Plato ipse diuinus affirmat. An Spartani hic dubitauissent illum aut Deum aut diuinum indigitare, cuius viderent
non

non vno tantum in genere bonitatem, raram quandam & maximopere gloriandam, ſed è multis & maximis virtutibus auctam & exaggeratam perfectionem? Magi quondam Sapiẽtes qui apud Ægyptios de obſcuriſsimis rebus ſcholas habebant, duos quoſdam eſſe Principes Deos voluerunt, continuo inter ſe bello diſſentientes, bonum vnum, alterum aduerſarium, illum Oromazem, hunc Arimanium dicebant: & bonum quidem ſex minores Deos ſiue Genios procreauiſſe; quorum primus eſſet Beneuolentiæ, alter Veritatis, tertius Legis ſalutaris, quartus Sapientiæ, quintus Opulẽtiæ, ſextus Gaudij è præclariſsimis rebus & beneficiis generati, quorum in luce & ſuperbiſsimo dominatu, tot inſignibus laurearum nobilitato, ille fons mali & incommodorum inuentor Arimanius nõ poſſet conſiſtere. O Magi! ô Sapientes! ô Hierophantæ! quem per nebulam ſuſpexiſtis, nos in Gallia, in hoc imperio orbis terræ florentiſsimo, clara luce Agathodæmonem vidimus bonum Regem in maximis virtutibus ge-

nerandis fœcundum, qui diuinitus non illum quidem veterum Arimanium, sed recentem malorum omnium inuentricem Μανίαν tumidis ceruicibus sesè efferentem, cum vi & virtute domuisset, claram illam vbique sobolem effudit, Beneuolentiam, Veritatem, Leges, Sapientiam, Opulentiam, Gaudium, plura etiam decora & ornaměta, quàm AEgyptij Oromazi tribuerunt. Itaque licet mihi opinor hanc tantam támque eximiam felicitatem Galliæ vniuersæ gratulari, cui Deus imperiorum dominus honorúmque fons & dignitatis eum ducem & Regem concessit, quo meliorem nec habere nec optare vnquam potuisset. Cum Probus esset electus Imperator, & de ea re Senatus Romæ haberetur, Manlium Statianum in dicendo Principem, hæc in illo theatro orbis terræ Flauius Vopiscus orasse commemorat, *Dijs immortalibus gratias P. C. & præ cæteris Ioui optimo, qui nobis Principem talem qualem semper optabamus dederunt, si rectè cogitemus, non nobis Aurelianus, non Alexander, non Antonini, non Traianus, nō Claudius requirendi sunt: Omnia in vno Principe*

constituta sunt, rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplum agendæ Reip. atque omnium prærogatiua virtutum. Quæ cum ille & plura in hanc rem diceret, tum Senatus solennia ista, *Omnes omnes* communi animorum conspiratione approbandóque inclamarunt. Non Senatus tantum vnus, Magne HENRICE, sed ordines Reipub. omnes, Prouinciæ omnes, populi omnes, in te Optimo longè plura, quàm in Probo Romani, agnoscunt: præ se ferunt te regiis maximisque virtutibus ornatum, omni antiquitate superiorem, à diuina prouidentia lectum, cœli munere & immortali numinis beneficio generi humano donatum fuisse. Omnes sciunt & fatentur, vno te viuo & vigente, non Galliæ Clodouæum propagandæ piæ religionis auctorem, non Magnum Carolum gentium aliarum domitorem, nō Franciscum literarum parentem, non sanctissimum Ludouicum regiæ bonitatis exemplar atque lumen defuisse. Iidem mecum omnes orant, & propensa animi beneuolentia studióque precantur, vt quoniam ita Rectori vniuersitatis &

parenti omnium Deo visum est vt abesses, inter eos magnanimos Heroas qui merendo viam sibi ad æternitatem fecerunt, plenus gloria & triumphans, cœlitum gaudiis & æterna voluptate perfruaris.

DIXI.






ÆTERNA HENRICI MAGNI FELICITAS,

SIVE

ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ.



T vidit ter ſanctaTrias, Rex æ-theris alti
Aurato fultus ſolio, & ſtellantibus aſtris,
Exhalare Orcum & ſtygiam eructare ca-uernam
Monſtrum ingens, cui corda rigent & dex-tera ferro,
Indoluit, Gallique Ducis flāmatus amore
Dulcia pennigerum vocat ad mandata mi-niſtrum.
Vade inquit Michaël magni cui credita re-(gni

Cura fuit, voluit liquidos vbi Sequana fluctus
I pete Parisios, gemitúmque accende tuorũ.
Heu quæ funerei surgunt insignia luctus!
Cui rigidum chalybem? cur libera pectora finxi
Queis ludus versare nefas & stringere ferrum?
Dic age, dic populis HENRICVM occumbere fato
Heroa inuictum, sæcli decus, audiat orbis
Et tumulo violas & candida lilia spargat.
Dixerat, & subito nigrantem obnubere vultum
Sol visus, medióque die flammantia lora
Mergere in occiduo liquenti sydere fluctu.
Continuo assistũt suprema per atria Parcæ,
(Quippe vrgent oracla Poli) sua pensa ferentes
Sydereis discreta notis, pars vellere parco
Mortales cohibent vitas, pars aurea nectit
Fila perennantis per sæcla ingentia fati.
Auratos magnus Genitor depromere fusos

Tunc iubet, at quales stellantis regia cœli
Poscit, vbi lucem Diui sine tempore tempus
Æternare vident, aliósq; reducere Soles.
Humanos quoniã ponit Rex inclytus artus,
Mórsque furit violenta solo, frustremur ouantem
Mortem, ait, æternùm HENRICVS *potiatur Olympo.*
Empyreas versate colus, date cãdida Parcæ
Regi fila pio, magnisque Heroibus æquus
Vitã agat, & quantũ genitori ætatis ademit
Triste scelus, tantùm LODOICO *accrescat, & æuum*
Largius indigetem cano iã vertice reddat.
Quin circùm Aligerum manus emicat? Ite per alta
Atria purpurei stellata fronte ministri,
Ite Deæ, HENRICO *meritæ spectacula pompæ*
Instruite ardentes, claráque in sede locate.
Ipse ego gemmiferæ statuã diadema coronæ
Magnanimo capiti, & Diui regnantis honorem
Nec mora pennati per templa micantia fratres

Limite cærulco volitant, cœtúque Piorum
In medio, celeres diuina tapetia sternunt.
Augustam imponunt sedem, quam circulus ambit
Thaumantis, geminæ nitido ex adamante columnæ
Hinc inde assurgunt, totidem capita alta pyropis
Irradiant, dulcémque vomunt in nubila flammam.
Carbaseus crispãte auro puluinus inumbrat
Clarum ebur, atque ostro fulget vibrante curulis.
Impendent rutilo velamine conopea,
Fimbria quæ tortis baccata monilibus auget,
Lilia sed roseo crispantur hiantia limbo.
Pinxit acu textũ Genouefa, & pollice docto
Dædala semidei variauit nomina Regis,
clarũ opus, attoniti spectant insignia Diui,
Fatáque venturi plausu fremitūq; sequũtur.
Parte alia sanctæ Charites per sydera lapsæ

Atria

Atria nota petunt Luparæ, dant vulnera lymphis,
Quodque fuit mortale rigant: hinc vividus artus
Pro pallore decor formosáq; pectora comit:
Ambrosiæ stant fronte comæ, dant dulcia risum
Ora, serenato proludit Gratia vultu.
Sidoniam induitur Chlamydem, quam limbus oberrat
Aureus, & grandes Phrygionum ex arte Smaragdi.
Turgent Armenio bombycina pallia mure
Exundántque sinus, quos fulua innectit Iaspis.
Circum humeros gemini noto discrimine torques
Nobilium decora alta Ducum fulgore coruscant
Scintillántque auro. Sertis redimire capillos
Approperat diuina Charis, magnáq; coronâ
Quam bis sex radii supra pia tempora tollūt
Ardentē, & circùm gemmāti luce coruscā.

Regem miraculorum esse vellet, animo impresserat Dauidis placabilitatem & Clementiam, Stirpis inuictę Machabęorum studium pię religionis conseruandę, Magni Constantini felicitatem, Alexandri in belligerãdo alacritatem, Iulij Cęsaris inuictam audaciam, Cyri consilium, Themistoclis ingenium, experientiam Magni Pompeij, Periclis dulcem & pressam eloquentiã, & Reipub. administrandę peritiam. Atque illa decora mentis tot & tanta cum ingenita forent in animo penitus sita & inclusa, foras tamen eminebant, & in regij muneris functione, vt Sileno patefacto, admirabiles quędam formæ, viuæque imagines prodibant. Itaque multos inter proceres, cum in Gallia sint numero propè infiniti, qui specie ipsa vt cum Euripide loquar, digni sunt principatu, exteri tamen aduentores, qui HENRICVM non norant, nullo monitore agnoscebant, ita in vultu diuum imitatrix hęrebat & dominabatur maiestas, ita nostros illos Heroas, non vt Saul ceruice Hebręos torísque humerorum, sed maxima virtutum om-

nium & diuite copia superabat. Neque ingressus tandem aliquãdo in Regiam vt in delubrum Honoris & dignitatis, quo Dynastarum conatus aspirant, Virtutem abiecit, quin potius quasi in curriculum introisset glorięque Circum magnitudine infinitum & patentem, ferebatur in dies longius, & non modo hebetiores alios & in cursu molliores, sed se quoque admirabili constantia, vincebat. Aiebat Academiæ parens & Homerus Philosophorum Plato, certos esse fines & cancellos vnicuique ciuitati constitutos quibus eius felicitas circunscriberetur, nec æternam eã vrbem esse posse, ac ne diuturnam quidem, quæ quotidie noua quadam accessione cresceret: sed in vita regia inque iis animi ornamentis quæ magnos viros efficiunt proximósque diuinitati, negabat HENRICVS terminos esse vllos à natura pactos aut excelsi animi inductione, quin semper in genere omni virtutis, id symbolum clarissimi Regis vsurpandum existimaret, *Vlterius* contendendum. Itaque si iam inde à susceptæ administrationis initio pius, si

clemens & placabilis, si inaudita moderatione animi, si constans in regia fide conseruanda, si iustus, si magnanimus, si patriæ amans & suorum, si religionis auitæ studiosus, nunquam ille splendor virtutum fuit illustrior, quam cum vitam cum morte commutauit. Cum igitur hunc admirabilem ornatũ tamque in oculis omnium positum & illustrem videamus, cum tanta sit nostri sæculi ex omniũ aggregatione bonorum conciliata ab HENRICO felicitas, cum Gallici imperij dignitas atque splendor, inuicti Regis auctoritate ac nomine summa gloria propagetur, quibus verbis hic exclamem Auditores? quę digna satis elogia reperiam aut honoris compellationes, quibus hęc tãta Regis mei virtus pro meritis ornata fuisse videatur? Lacones cum insigni dignitate viros, qui de patria déque ciuibus bene meriti fuissent aliquando, oratione cohonestare vellent, eos θείους Deos seu diuinos homines appellabãt, vt Plato ipse diuinus affirmat. An Spartani hic dubitauissent illum aut Deum aut diuinum indigitare, cuius viderent
non

non vno tantum in genere bonitatem, raram quandam & maximopere gloriandam, ſed è multis & maximis virtutibus auctam & exaggeratam perfectionem? Magi quondam Sapiētes qui apud Ægyptios de obſcuriſsimis rebus ſcholas habebant, duos quoſdam eſſe Principes Deos voluerunt, continuo inter ſe bello diſſentientes, bonum vnum, alterum aduerſarium, illum Oromazem, hunc Arimanium dicebant: & bonum quidem ſex minores Deos ſiue Genios procreauiſſe; quorum primus eſſet Beneuolentiæ, alter Veritatis, tertius Legis ſalutaris, quartus Sapientiæ, quintus Opulētiæ, ſextus Gaudij è præclariſsimis rebus & beneficiis generati, quorum in luce & ſuperbiſsimo dominatu, tot inſignibus laurearum nobilitato, ille fons mali & incommodorum inuentor Arimanius nó poſſet conſiſtere. O Magi! ô Sapientes! ô Hierophantæ! quem per nebulam ſuſpexiſtis, nos in Gallia, in hoc imperio orbis terræ florentiſsimo, clara luce Agathodæmonem vidimus bonum Regem in maximis virtutibus ge-

nerandis fœcundum, qui diuinitus non illum quidem veterum Arimanium, sed recentem malorum omnium inuentricem Μανίαν tumidis ceruicibus sesè efferentem, cum vi & virtute domuisset, claram illam vbique sobolem effudit, Beneuolentiam, Veritatem, Leges, Sapientiam, Opulentiam, Gaudium, plura etiam decora & ornaméta, quàm AEgyptij Oromazi tribuerunt. Itaque licet mihi opinor hanc tantam támque eximiam felicitatem Galliæ vniuersæ gratulari, cui Deus imperiorum dominus honorúmque fons & dignitatis eum ducem & Regem concesśit, quo meliorem nec habere nec optare vnquam potuisset. Cum Probus esset electus Imperator, & de ea re Senatus Romæ haberetur, Manlium Statianum in dicendo Principem, hæc in illo theatro orbis terræ Flauius Vopiscus orasse commemorat, *Dijs immortalibus gratias P. C. & præ cæteris Ioui optimo, qui nobis Principem talem qualem semper optabamus dederunt, si rectè cogitemus, non nobis Aurelianus, non Alexander, non Antonini, non Traianus, nõ Claudius requirendi sunt: Omnia in vno Principe*

constituta sunt, rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplum agendæ Reip. atque omnium prærogatiua virtutum. Quæ cum ille & plura in hanc rem diceret, tum Senatus solennia ista, *Omnes omnes* communi animorum conspiratione approbandóque inclamarunt. Non Senatus tantum vnus, Magne HENRICE, sed ordines Reipub. omnes, Prouinciæ omnes, populi omnes, in te Optimo longè plura, quàm in Probo Romani, agnoscunt: præ se ferunt te regiis maximisque virtutibus ornatum, omni antiquitate superiorem, à diuina prouidentia lectum, cœli munere & immortali numinis beneficio generi humano donatum fuisse. Omnes sciunt & fatentur, vno te viuo & vigente, non Galliæ Clodouæum propagandæ piæ religionis auctorem, non Magnum Carolum gentium aliarum domitorem, nō Franciscum literarum parentem, non sanctissimum Ludouicum regiæ bonitatis exemplar atque lumen defuisse. Iidem mecum omnes orant, & propensa animi beneuolentia studióque precantur, vt quoniam ita Rectori vniuersitatis &

parenti omnium Deo visum est vt abesses, inter eos magnanimos Heroas qui merendo viam sibi ad æternitatem fecerunt, plenus gloria & triumphans, cœlitum gaudiis & æterna voluptate perfruaris.

DIXI.





ÆTERNA HENRICI MAGNI FELICITAS,

SIVE

ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ.

T vidit ter ſanƈta Trias, Rex æ-
theris alti
Aurato fultus ſolio, & ſtellantibus aſtris,
Exhalare Orcum & ſtygiam eruƈtare ca-
uernam
Monſtrum ingens, cui corda rigent & dex-
tera ferro,
Indoluit, Gallique Ducis flāmatus amore
Dulcia pennigerum vocat ad mandata mi-
niſtrum.
Vade inquit Michaël magni cui credita re-
(gni

Cura fuit, voluit liquidos vbi Sequana fluctus
I pete Parisios, gemitúmque accende tuorũ.
Heu quæ funerei surgunt insignia luctus!
Cui rigidum chalybem? cur libera pectora finxi
Queis ludus versare nefas & stringere ferrum?
Dic age, dic populis HENRICVM *occumbere fato*
Heroa inuictum, sæcli decus, audiat orbis
Et tumulo violas & candida lilia spargat.
Dixerat, & subito nigrantem obnubere vultum
Sol visus, medióque die flammantia lora
Mergere in occiduo liquenti sydere fluctu.
Continuo assistũt suprema per atria Parcæ,
(Quippe vrgent oracla Poli) sua pensa ferentes
Sydereis discreta notis, pars vellere parco
Mortales cohibent vitas, pars aurea nectit
Fila perennantis per sæcla ingentia fati.
Auratos magnus Genitor depromere fusos

Tunc iubet, at quales stellantis regia cœli
Poscit, vbi lucem Diui sine tempore tempus
Æternare vident, alióſq; reducere Soles.
Humanos quoniã ponit Rex inclytus artus,
Mórſque furit violenta solo, frustremur ouantem
Mortem, ait, æternùm HENRICVS potiatur Olympo.
Empyreas versate colus, date cãdida Parcæ
Regi fila pio, magniſque Heroibus æquus
Vitã agat, & quantũ genitori ætatis ademit
Triste ſcelus, tantùm LODOICO accreſcat, & æuum
Largius indigetem cano iã vertice reddat.
Quin circùm Aligerum manus emicat? Ite per alta
Atria purpurei stellata fronte ministri,
Ite Deæ, HENRICO meritæ ſpectacula pompæ
Inſtruite ardentes, claráque in ſede locate.
Ipſe ego gemmiferæ ſtatuã diadema coronæ
Magnanimo capiti, & Diui regnantis honorem
Nec mora pennati per templa micantia fratres

Atria nota petunt Luparæ, dant vulnera lymphis,
Quodque fuit mortale rigant: hinc viuidus artus
Pro pallore decor formosáq; pectora comit:
Ambrosiæ stant fronte comæ, dant dulcia risum
Ora, serenato proludit Gratia vultu.
Sidoniam induitur Chlamydem, quam limbus oberrat
Aureus, & grandes Phrygionum ex arte Smaragdi.
Turgent Armenio bombycina pallia mure
Exundántque sinus, quos fulua innectit Iaspis.
Circum humeros gemini noto discrimine torques
Nobilium decora alta Ducum fulgore coruscant
Scintillántque auro. Sertis redimire capillos
Approperat diuina Charis, magnáq; coronâ
Quam bis sex radii supra pia tempora tollũt
Ardentẽ, & circùm gemmãti luce coruscã.

Laurus Erythræas interplicat enthea gēmas
Vittáque frondentem candens innodat oliuā.
Talis erat, talis sublimia corpora busto
Ostentat radiante pyra. Cum protinus acres
Imminui luctus Michaël, lamentáque demi
Gallorū miserāda iubet, Satis inquit amori,
Sat lacrymis tumuloque datum, vocat ecce per æthram
Gloria magnanimum formoso limite Regē.
Huc animum, flecte huc oculos mea Gallia, flores
Sparge volens, capitiq; pius impone corollas,
Omnis Io sonet ordo Patri, clarosq; triūphos
Ingeminet studio, pompámq; incēdat amore.
Intendunt animos; è diuite Mausleo
Flammigeram credunt volucrem, sublime volantem,
Laturam exuuias magni Ducis æthera in altum,
Quâ patet Heroum picti via Lactea cœli.
Vt quondam Romana fides Iouis alite magnos
Augustos super astra tulit. Sed more prophano

Haud placuit per inane vehi: ſtat in æthere currus,
Aliger hunc Cuſtos fulgenti illuſerat auro,
Sardonyches namque ima tenent, ſinuantur in orbem
Chryſolithi ſuprà igniuomi, turritáque late
Forma nitet: temo gemma Garamantide pulcher
Berylloque rotæ Latonia lumina vincunt.
Hunc ſuper imponunt viuam iam Principis vmbram
Exutámque ſolo, qualis ſtellantibus vndis
Lucifer exoriens nitido micat aureus ore.
Nec tamen alipedes niueo candore petuntur
Bullatis compti phaleris oſtroque decori,
Nec cerui vt quondam biiugi ue ad f[illegible]ia Leones,
Cum Capitolinas Romana ſuperbia laurus
Inſueta quateret pompa, nec more Lyæi
Ad iuga vinoſæ coguntur inertia Lynces.
Haud trita vult ire via Rex magnus Olympo,

Et mundi minor omnis honor, minor omnis honore
Tanto mundus erat. Superi ſacraria mundi
Ecce patent, binæ facies, duo corpora Diuum
Deſcendunt, geminæ rutilãti numine Diuæ,
Pulchræ oculos, roſeáſque genas, & pectus honeſtum,
Aurea cæſaries ollis diffundit odorem
Ambroſium, læues humeros hyacinthina velat
Tænia, & OEbalio ſaturatæ murice veſtes.
Pingit honoratam diuina modeſtia frontem,
Igneus ora pudor, ceruix redimita mitella
Lacteola in triplicem ſuggeſtũ aſſurgit, & omnes
Certa lege comas puro diſcriminat auro.
Huic Pietas, illi nomen Clemẽtia, cœli
Vtraque progenies, terræ decus, vtraque promit
Aurea lora manu, temonem adſtringit, & vnà
Aſtra ſuper niueos ducit rorantia currus.

Euolat HENRICVS, liquidúmque per æthera fertur
Cærulea incinctus nebula & spirantibus auris.
Cinnameos dat turba sonos hinc inde canētū
Cælituum, fugiunt vrbes terræque recedunt,
Zonáque signiferi pandit se peruia claustri.
Ventum erat ad limen mundum amplectētis Olympi,
Sydereæ patuere fores Clementia vocem
Vt tulit, & Pietas ramos prætendit oliuæ.
Hinc chorus Aligerum fundi super, atria stipant
Densæ humeris turmæ tanti ad miracula Regis.
Pars pedibus plaudit choreas, pars nablia tangit,
Pars chelyn, hi numeris & dulci voce loquuntur.
Hic primùm occurrit dius LODOICVS, & inter
Heroas quos Nectar alit cœlestibus aulis
Infert se placide & paullùm sermone moratur,

O quem te video felicibus edite fatis
Nate tui columen sceptri aurat æque coronæ!
Te crudæ stupuere acies mauortiáque arma
Bellantē, contráq; manu tua tela ferentem,
Mascula purpureis sequitur Victoria pennis
Téq; solo insignem statuit, quà Phœbus Eoa
Quadrupedes attollit aqua, vel cōdit Ibera.
Maior at illustri te vexit adorea curru,
Téq; Polo insignem statuit meliore triūpho,
Te Stygiæ expauere acies, dū castra relinquis
Errantum, dum Relligio te casta coronat.
Huc ades ô nostræ fidissima gloria gentis,
Et cape regificos Numen quos spondet honores.
Hæc tantū, lacrymísq; sinus impleuit obortis
Lætitiæ exultans, dextrámque capessit, & inter
Plaudentū fremitus ad honora sedilia ducit.
certat vbi Aligeris plausu, cornúq; repādo
AEterna satur Ambrosia prece numen amicat.

FINIS.